This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Lt
1
525

XII 118
Lt 1.525.

SIGILL: COLL: HARVARD: CANTAB: NOV: ANGL: 1650.
CHRISTO ET ECCLESIAE

BOUGHT WITH
THE INCOME FROM
THE GIFT OF
STEPHEN SALISBURY,
OF WORCESTER, MASS.
(Class of 1817).

Rec'd 18 Feb. 1871.

Th. Pabst

Hallische Literaturztg. Ergänzungsblätter. Num. 121. Novbr. 1829. S. 967.

„Diese Ausgabe hat einige wesentliche Lesarten weniger als die Dronkische Ausgabe, die übrigen aber auch alle (wenigstens in den ersten 12 Cap.) — „Hätte der Herausgeber diese Handschrift (Cod. Farnes.) von anerkannten Vorzügen zur Grundlage gewählt u. nirgend sie ohne die triftigsten Gründe verlassen, so würde der Text wenigstens nicht selbst den von Lips. u. Oberl. nachstehen.“

l

5

Caius

C. CORNELII TACITI

DE

ORATORIBUS

DIALOGUS.

RECENSUIT ET ANNOTATIONE CRITICA

INSTRUXIT

Friedrich (Gotthelf)

FRIDERICUS OSANN

PROFESSOR GISSENSIS.

GISSAE

SUMPTIBUS G. F. HEYER, patris.

MDCCCXXIX.

Lt 1.525

1871, Feb. 18.
Salisbury Fund.

VIRO AMPLISSIMO

ADOLPHO GOTTLOB LANGE

LITTERARUM ANTIQUARUM

IN

SCHOLA PORTENSI PROVINCIALI

PROFESSORI

STRENUO HUIUS DIALOGI VINDICI

D.

EDITOR.

PRAEFATIO.

> Plura sunt in aureolo dialogo de caussis corruptae eloquentiae et quae labem seculi pingunt, nonnulla quae divinitus dicta videntur in strenuam desidiam nostrorum temporum.
>
> Wolfius.

Taciti dialogum de oratoribus sive de causis corruptae eloquentiae, ut vulgo appellatur, Seminarii philologici Gissensis sodalibus per hoc semestre academicum hibernum interpretandum traditurus, quum de exemplaribus operis frustra circumspicerem, quae et modico pretio parari possent et simul annotatione critica certe potioris antiquorum librorum lectionis instructa essent: facile eo me adduci passus sum, ut quam desiderabam praestantissimi libelli editionem, ipse parare instituerem, quae non modo nostris in scholis, sed cum fructu etiam foris discentium manibus tradi posset. Neque enim quae superiore anno in lucem emissa est Ed. Dronkii editio multis nominibus laudanda, ut quae, ipsa annotationis ubertate prolixior, librorum in scholis tractandorum iustum pretii modum excedere videretur, a consilio capto me non solum avocavit, sed ut telam semel orsam pro virili parte pertexerem, etiam magis animum

confirmavit. Accedebat, ubi a Dronkii lectione mihi recedendum esset, haud pauca loca me advertisse, quibus vel antiquorum librorum scripturam praepropere abiectam in ordinem revocare, vel vulgatae fidem et auctoritatem detrahere atque, ubi probabiliter fieri posset, pristinum nitorem reducere visum est. Itaque factum est ut, quum primum in agendo digerendoque lectionis discrepantis delectu laborem meum unice occupari constitueram, nunc, mutato consilio, subito ad correctoris provinciam prosilierim, qui novo examini unumquodque dialogi vocabulum subiiceret, proprioque Marte, quantum in viribus esset, operis censuram ageret quam accuratissimam. In quo labore perficiendo quum conciso admodum dicendi generi studendum esset, hanc mihi scripsi legem, ut receptarum lectionum causas vel plane tacerem, vel ubi nova lectio firmanda esset, in exponenda re quam brevissimus essem. Praeterea non universa farrago diversarum lectionum annotationi inserenda videbatur, sed potius delectus editionum veterum et recentiorum habendus, e quibus visum est Rhenano antiquiores, ubi conspirabant, plerumque nomine *Editionum veterum* comprehendere, vel ubi inter se insigniter dissidebant, unamquamque diserte designare: neque aliam viam in afferendis recentiorum commentis sequi institui; Dronkianae vero editionis ut novissimae et limatissimae varietatem operae pretium me facturum putavi si diligenter indicarem. In primis autem opera danda erat, ut editionis Spirensis, quae pro fundamento criticae in hoc libello exercendae merito habetur, scriptura quam accuratissime notaretur; quod sedulo a me factum ob-

servabis, paucis locis exceptis, quibus aperta vitia orthographica referre taeduit. Non tamen licuit ipsam Spirensem in usum huius laboris denuo conferre; sed in edendis prioribus certe dialogi capitibus viginti acquiescendum erat in notatione scripturae Dronkiana, a Seebodio, viro optimo, olim confecta, donec inopinato, et quum dimidia fere editionis meae pars typis iam excusa esset, labori meo nova subsidia allata sunt singulari humanitate Phil. Caroli Hessii, gymnasiarchae Helmstadiensis, de scriptore nostro bene meriti, qui, de paranda editione nova publice rumore certior factus, ultro transmisit schedas suas, quibus inter alia lectiones editionum Spirensis, Puteolani (1497), Rhenani (1544) ad Seebodianum exemplar alterum exactae continebantur *). His copiis, quibus a tertio et vicesimo demum capite uti licuit, si factum est, ut editionum veterum accuratior notitia hic illic comparata sit, id unice acceptum grato animo mecum tu Hessio feras, qui hoc nomine de me laboreque meo insigniter promeruit. Praeterea inter

*) Idem vir humanissimus per litteras mihi significavit, cap. 4 fin. plurimarum editionum lectionem *omissis Musarum angustiis* ut exquisitiorem se praeferre, quum praesertim usus Latinus non obsit. Quod iam alii observaverant et allato Cic. Or. 3 *agrestioribus Musis* firmare studuerant. Nunc Hessius praeterea addi iubet eiusdem Epist. ad fam. I, 9, 67 *nam ab orationibus diiungo me fere, referoque ad mansuetiores Musas, quae me maxime, sicut iam a prima adolescentia, delectarunt.* Ut hoc dici posse non negem, tamen in sententia mea nihil muto, teneoque codd. Vat. lectionem *causarum*, quippe in qua nihil sit quod reprehendatur, quum contra *Musarum angustiae*, quae nostro loco leguntur, si quidem Latine, apte tamen et bene dici negem.

subsidia Hessiana excerptas reperi lectiones Frobenianas editionis Basileae a. 1519 in lucem emissae, quae Alciati nomine ab Ernestio appellata, eodem teste Beroaldinae repetitio esse dicitur *): nihilo tamen secius, quum praesertim non omnibus locis cum Beroaldina consentire feratur, in usum futuri editoris placuit huius editionis scripturam ad Seebodianum alterum exemplar collatam appendicis loco ad calcem libelli apponere. Potuissem quidem, vel debuissem eius editionis scripturam ordini verborum in hac mea editione exhibito accommodare: sed quod librario vel sollertissimo accidere solet, ut in transponenda uniuscuiusque loci lectione humani aliquid patiatur, id me commovit, ut Frobenianae scripturam talem redderem, qualem in schedas Hessius retulerit. Idem dictum volo de scriptura editionis Mediolani a Puteolano curatae, quam item ex schedis Hessii in appendice adieci.

Ad manus denique fuit Veneta quaedam editio, quam Aldinam appellare libuit. Inscribitur: Cornelius Tacitus exacta cura recognitus et emendatus. Venetiis in aedibus heredum Aldi Manutii Romani 1534. De qua editione Ernestius Praefat. Tacito praemissa p. XLVII ed. Oberlin. „Anno, inquit, post editionem primam Rhenani, hoc est 1534, prodiit *Aldina* Venetiis, octonis: quae est mera illius repetitio, sine ullo auctario, aut mutatione, nisi quae ab operis, ut fit, nata est etc." Quae omni ex parte an vera sint, vehementer dubito. Intellexi enim utramque editionem haud uno loco inter se

*) V. Ernestii Praef. ad Tac. p. XLIII. ed. Oberl.

differre. Exempli loco esse potest c. 10, ubi vide ad *nedum* annotata. Quare ex re esse visum est, Aldinae adhuc plane neglectae scripturam, ubi a nostra recedat, accurate commemorare.

De codicibus manu scriptis vix est, quod referam. Haud licuit aliis uti ac qui hactenus editoribus a Lipsio inde et Brotierio ad manus fuerunt, utilissimi quidem, nec tamen optimi qui aliorum desiderium explere possent. Neque universam illorum codicum, de quibus copiose disseruit Dronkius in Praefatione, scripturam sed excerptas quasdam lectiones novimus, quibus pristinam verborum scripturam singulis sane locis refingi posse confitendum est, parum vero efficitur ad integrum Taciti libellum restituendum. Unde factum, ut firmo fundamento verborum textus, qui dicitur, plane destituatur, et ad unam Spirensem editionem recurrendum sit, quae ad exemplar mancum et imperfectum expressa videtur. Nam Puteolanus edendo libello librum scriptum an adhibuerit, merito dubitatur.

Restat ut quod in ipsa huius editionis fronte Cornelii Taciti nomine Dialogum inscribere non dubitaverim, rationem paucissimis quam potero verbis reddam. Ut enim Dronkio, ita mihi quoque Langius Commentatione de Dialogi auctore egregia, quam secundis ab auctore curis emendatam et auctam Dronkius in Prolegomenis, venia a Langio impetrata, repetendam duxit, Tacitum Dialogi auctorem non solum esse posse, sed quod summum est, re vera esse persuasit. Quem enim vir sagacissimus in hanc quaestionem iure adhibuit Plinii locum Epist. IX, 10, is omne, si quod fuit reliquum,

dubium hac de re sustulit ac tenebras, quibus dialogi auctor obtegebatur, collustravit. Nemo enim, nisi qui caecutiat, Epistolam illam a Tacito potius, quod fuerunt qui re non satis considerata contenderent, quam a Plinio scriptam esse affirmare potest. Bene monuit Tacitum Langius numquam poemata scripsisse: contra quae in epistola illa continentur, optime ad Plinium pertinent, quem, quod Langius addere potuisset, ipso teste Epist. IV, 27, constat interdum versibus lusisse. Riklefsius *), qui nuper summam operam intendit, ut Tacito dialogum tribui non posse demonstraret, Langii disputationem aut non novit, aut non satis perpensitasse aestimandus est.

Scribebam Gissae anno ineunte CIƆIƆCCCXXIX.

---

*) *Tacitus sämmtliche Werke, übers. von Riklefs*, Oldenburg. 1827. Tom. IV. Caeterum argumentum causae, quae hac in quaestione agitur, qui accurate cognoscere velit, is adeat Füllebornii Encyclop. philol. p. 36. ed. Kaulfufs.

C. CORNELII TACITI

DIALOGUS

DE

ORATORIBUS [1].

BREVIARIUM [2].

Cap. 1. Dialogi occasio. 2. 3. Confabulationis argumentum. Curiatium Maternum, ex oratore poetam, M. Aper orator, iudice Iulio Secundo, a poeticis studiis avocare tentat. 4. Maternus sanctiorem se eloquentiam sectari profitetur. 5—7. Instat Aper et oratoriae artis utilitatem, voluptatem, dignitatem celebrat, idque 8. Marcelli Eprii et Crispi Vibii exemplis comprobat; 9. contra carmina dignitate et utilitate destitui nec nisi laudem inanem dare et gaudium volucre. Laude dignam esse Vespasiani liberalitatem in vatem Saleium Bassum; pulcrius tamen esse, sibi ipsi prospicere et suum genium propitiare. Nec voluptatis quidquam praebere poeticam, quippe vatibus in solitudinem sit secedendum, 10. tum poetas esse offensis obnoxios. Maternum proinde rectius acturum, si ab auditoriis et theatris in forum et ad caussas redeat.

11—13. Maternus contra poeticae studium securitatem praestare et innocentiam, maiorem quoque gloriam, quam forensis labor concedat, quod aurei saeculi exemplo constet. Voluptatem porro puriorem adferre secessum in nemora et lucos, quam

1 Sic Codd. Vaticani. Variant Edd. vett., exhibentes *Cornelii Taciti equitis Romani dialogus de oratoribus claris*, vel *Cornelii Taciti aequitis Romani dialogus an sui saeculi oratores antiquioribus et quare concedant.* Qui librum inscripserunt *Dialogus de causis corruptae eloquentiae,* putasse videntur, Quintiliani opus esse, cui titulum fuisse ab ipso auctore impositum constat *De causis corruptae eloquentiae.*

2 Ex ed. Ernest. descriptum.

sanguinantem eloquentiam. Dulces Musas revocare suos cultores a sollicitudinibus et curis.

14. Supervenit Vipstanus Messala. Is, antiquorum admirator, Aprum a novorum rhetorum more ad veterem formam trahere nititur. 15—18. Aper repugnans movet quaestionem, quinam oratores vocandi sint antiqui. Hos venerantur Messala, Secundus, Maternus. Aper saeculi sui partes tuetur, nec veteres esse dicendos iudicat, quos eorumdem hominum aures adgnoscere potuerint. Ciceronem et coaetaneos, fere in medio positos, ab antiquorum adseclis istis accenseri. In iis, qui vocentur antiqui, plures deprehendi species, nec unum esse eloquentiae vultum. Malignitate humana vetera in laude, praesentia in fastidio esse. 19. Cassium Severum, quem terminum antiquitatis constituant, a vetere flexisse via non inscitia, sed iudicio et intellectu; cum conditione temporum ac diversitate aurium formam quoque orationis fuisse mutandam. 20. Variis scatuisse veterem eloquentiam vitiis. Auditorum coronam exigere iam laetiorem et pulcriorem orationem et poeticum decorem. 21. 22. Diiudicat dein Aper Calvi, Coelii, Caesaris, Bruti, Asinii, Corvini orationes et carmina et praecipue Ciceronis, cuius laudes canit et vitia reprehendit, quae sola perversis imitatoribus placeant. 23. Veram esse eloquentiae artem, antiquorum laetissima quaeque imitari et a recentibus feliciter reperta miscere.

24. Iam Maternus hortatur Messalam, ut missa laudatione antiquorum, qui illa non indigeant, caussas expromat, cur in tantum ab eorum eloquentia recesserit recentior aetas. 25. Messala monet, quinam antiqui dicendi; plures fuisse dicendi formas iisdem saeculis; docet quid sentiendum sit de eloquentia Calvi et ceterorum, de quibus mox dictum; addit, quod se obtrectarint invicem, vitium esse non oratorum, sed hominum. 26. C. Gracchi impetum et L. Crassi maturitatem praeferendam esse calamistris Maecenatis aut tinnitibus Gallionis. Cassium Severum parum habere sanguinis et rixare magis, quam pugnare, nec adtulisse Aprum, quem Ciceroni vel Caesari opponeret. 27—29. Petente Materno, ad explicandas caussas transit Messala, cur eloquentia ceteraeque artes a vetere gloria desciverint, desidiam iuventutis, negligentiam parentum, inscientiam praecipientium et oblivionem moris antiqui. Ostendit, apud antiquos severam et sanctam fuisse liberorum educationem; apud recentiores ad histrionalem favorem deflexisse

et rhetores. 30—32. Ex ingenuarum artium scientia et varia eruditione exundasse antiquam eloquentiam, quod Ciceronis exemplo pateat; illarum contemtum primam esse corruptae eloquentiae caussam. 33—35. tum iuvenes olim, domestica disciplina imbutos, deductos esse ad oratores principes, quos sectati pugnare quasi in proelio didicerint: postea in scholas rhetorum transisse, ubi nihil discatur, nisi quod usum non habeat.

[Heic mutilus est Messalae sermo, forsan et periit Iulii Secundi, sequitur Materni oratio, capite trunca. Lacunam hanc complere nisus est Broterius. In iis, quae supersunt] 36. tradit Maternus: perturbatione olim et licentia, factionibus procerum et adsiduis Senatus adversus plebem certaminibus, eloquentiam viguisse; 37. neque quemquam magnam potentiam sine eloquentia consecutum: Demosthenis hoc et Ciceronis exemplo comprobari. 38. Primum Cn. Pompeium eloquentiae adstringendo nocuisse, eique veluti frenos inposuisse; tum 39. paenulas, quibus adstricti et quasi inclusi cum iudicibus fabulentur oratores, itemque inpedimenta a iudicibus orta, debilitare eloquentiam. praeterea res velut in solitudine agi, quum oratori olim clamor plaususque addiderint animum. 40. Eloquentiam esse alumnam licentiae, contumacem, temerariam, arrogantem, nec in civitatibus bene constitutis oriri posse, quod exempla variarum gentium ostendant; 41. minorem esse obscurioremque gloriam inter bonos mores et in obsequium regentis paratos; bono sui saeculi cuique fruendum. 42. Disceditur.

Habitus est dialogus Flavio Vespasiano Aug. VI. Tito Vespasiano Caes. IV. Coss.

Cap. I.

Saepe ex me requiris, Iuste Fabi, cur, quum priora secula tot eminentium oratorum ingeniis gloriaque effloruerint, nostra potissimum aetas deserta [1] et laude eloquentiae [2] orbata, vix nomen ipsum oratoris retineat. Neque enim ita appellamus [3] nisi antiquos; horum autem temporum diserti causidici et advocati et patroni et quidvis potius quam oratores vocantur. Cui percontationi [4] tuae respondere, et tam magnae quaestionis pondus excipere, ut aut de ingeniis nostris male existimandum habeam [5], si idem assequi non possumus, aut de iudiciis, si nolumus, vix hercule auderem, si mihi [6] mea sententia proferenda, ac [7] non disertissimorum [8] nostris temporibus hominum sermo repetendus esset, quos ean-

1 *Deserta* offensioni multis perperam fuit: bene explicuerunt V. D. (Wopkens.) in Obs. misc. Vol. VII, 3. p. 380. Schulzius, F. A. Wolfius.

2 *eloquentiae*, quod in vett. Edd., etiam in Ald. deerat, primus recepit e codd. Vatic. Schulzius. Oberlino et F. A. Wolfio glossema sapere videbatur.

3 E codd. Vatic. et Ed. Spir. Dronkius *appellemus* scripsit. Illud reliquae Edd., quas inter etiam Ald. Ex mente Fabii dicta haec esse non possunt propter seq. *vocantur*.

4 Alii *percunctationi*.

5 Wolfio auctore *habeam*, cuius loco Lipsius, adstipulantibus editoribus ad Dronkium usque fere omnibus, e cod. Farnes. *sit* dedit, e cod. Romano suscepi, quippe qui persuasum mihi habeam, lectionem illam non editioni alicui, sed codici MS. deberi: Lipsius enim, qui primus attulit, apertis verbis: „male existimandum sit] ita Farnes. at in Rom. cod. *existimandum habeam.*" Igitur hoc certe loco mentio codicis Romani MS. suspecta non est. Sed tu vide Dronkium p. V. In antiquis Edd. atque in Ald. *existimandum, si* reperitur; omisso *sit*.

6 *mihi*, quod cum Ald. Rhenanus, Lipsius aliique omittebant, restituit Brotierius e codd. Vat., quem praeter Schulzium recentiores editores secuti sunt.

7 *ac* deletum voluit Heumannus, ut ab usu Latini sermonis alienum.

8 Post *disertissimorum* Lipsius, quem permulti secuti sunt, primus *ut* inseruerat, quod nunc rectius deletum a Dronkio, praeeuntibus Schurzfleischio et Tyrwhitto: neque agnoscit Ald. Quid codices ferant, haud liquet.

dem hanc quaestionem pertractantes iuvenis admodum audivi. Ita non ingenio, sed memoria ac recordatione opus est, ut, quae a praestantissimis viris et excogitata subtiliter et dicta graviter accepi, quum singuli diversas, vel easdem[1] sed probabiles causas afferrent, dum formam sui quisque et animi et ingenii redderet, iisdem nunc numeris iisdemque[2] orationibus[3] persequar, servato ordine disputationis. Neque enim defuit, qui diversam quoque partem susciperet, ac, multum vexata et irrisa vetustate, nostrorum temporum eloquentiam antiquorum ingeniis anteferret.

Cap. II.

Nam postero die quam Curiatius[4] Maternus Catonem recitaverat, quum offendisse potentium animos diceretur, tamquam in eo tragoediae argumento sui oblitus, tantum Catonem cogitasset, eaque de re per Urbem frequens sermo haberetur, venerunt ad eum M. Aper et Iulius Secundus, celeberrima tum ingenia fori nostri; quos ego in iudiciis non utrosque modo studiose audiebam, sed domi quoque et in publico assectabar mira studiorum cupiditate et quodam ardore iuvenili, ut fabulas quoque eorum et disputationes et arcana semotae dictionis[5] penitus exciperem: quamvis maligne plerique opinarentur, nec Se-

1 *vel easdem* superflua esse videbantur Mureto et Lipsio.

2 *iisdem* male nonnulli. Ald. ut editum.

3 Sic Edd. vett. cum Ald. Recentiores fere omnes *rationibus*. Poteratne vero Tacitus a praestantissimis illis viris quae excogitata subtiliter acceperat, ea si iterum persecuturus erat, aliis rationibus enarrare, quam quibus illi usi fuissent? Retinendum esse *orationibus* Dronkius quoque in Annotatione p. 61. monuit, quum edendum curasset *rationibus*.

4 Recte ita nunc ope Codd. restitutum poetae nomen; nam quod nonnulli suaserunt legendum *Curatius*, id vereor ne nomen non sit Latinum. Illam enim formam tituli veteres pertinaciter tenent. In uno Gruteri p. MXIII, 6, quo CURATI exstat, iuxta notatur varians lectio eaque praestantior CURIATI. Sed quod in plerisque Editt. vett. fertur *accuratius*, hoc nolim plane negligi. Vix enim dubitari potest, ortam esse pravam hanc lectionem ex ambigua scriptura ACURIATIUS, h. e. *Aulus Curiatius*. An vere hoc fuerit poetae praenomen, hodie affirmare certo non licet, quum nusquam plena eius nominis apud veteres mentio fiat. Quare nolui id in ipso contextu repraesentare.

5 Heumann. *arcanas etiam dictiones*. Vulgatam defenderat Wopkens. l. c. p. 381.

[illegible] III Jahrg. I Heft p. 16 [illegible]

cundo promptum esse sermonem, et Aprum ingenio potius et vi naturae quam institutione et litteris famam eloquentiae consecutum. Nam et Secundo purus et pressus et, in quantum[1] satis erat, profluens sermo non defuit: et Aper omni[2] eruditione imbutus, contemnebat potius litteras quam nesciebat, tamquam maiorem industriae et laboris gloriam habiturus, si ingenium eius nullis alienarum artium adminiculis inniti videretur.

Cap. III.

Igitur ut intravimus cubiculum Materni, sedentem ipsum, quem[3] pridie recitaverat librum intra[4] manus habentem deprehendimus.

Tum Secundus, Nilne te[5], inquit, Materne, fabulae malignorum terrent, quo minus offensas Catonis tu ames[6]? an ideo librum istum deprehendisti[7], ut diligentius retractares, et sublatis, si[8] qua[9] pravam interpretandi ma-

1 Vett. Edd. cum Ald. *in quem*. Primus *in quantum* emendavit Rhenanus. De phrasi consulendi Schulzius et Dronkius.

2 Sic ex uno Vatic. bene Dronkius scripsit, ut iam olim Acidalius legendum coniecerat pro *cum*, quod exstat in Edd. vett., reliquis Codd. Vaticanis et Ald. *Communi*, quod vulgo edebatur, Rhenani debetur acumini; quod sane tenendum fuisset, nisi *omni* codex praeberet.

3 *ipsum, quem* revocavimus e codd Vatic et vett. Edd. et Ald. Ex libro Romano, de cuius fide v. Dronk. p. V, Lipsius, quem tantum non omnes editores secuti sunt, *ipsum et quem* dedit. Non opus videtur copula. Livius XXI, 25: *ibi inexplorato profectus, in insidias praecipitatus, multaque cum caede suorum aegre in apertos campos emersit*.

4 Seebodio in ed. pr. *inter* scribenti fortasse obtemperandum esse bene monet Dronkius. *Intra manus libellum habere*, an Latine dicatur, dubitari potest. Ego tamen malim *in* legere, collato Bentleio ad Horat. Epist. II, 1, 50.

5 Heumannus *nil te*, scilicet auribus consulturus. Vanam esse hanc offensionem Wopkens. l. c. p. 383. docuit.

6 De codicum lectione non constat. Edd. vett. cum Ald. uno consensu *aures*, ex quo egregie Lipsius *ames* eruit, quod recentiores omnes amplexi sunt. Dronkius unus tamen in Annotatione facilius et rectius emendari *cures* dicit, hoc sensu, credo, quo minus de offensis Catonis tui sollicitus sis. Sed hoc non est *offensas curare*.

7 Ita Edd. omnes vett. cum Ald. Ex Rhenani coniectura Lipsius, quem permulti secuti sunt, *apprehendisti*, in notis *reprehendisti* proponens, quod suffragium multorum tulit. Alia rursus alii.

8 Unus Seebodius in ed. post. *sublatis iis, quae*.

9 Omnes ante me *quae*. Pro *pravam*, quod sequitur, unus Codex de quo tamen accurate haud liquet, *prave*, monente, neque improbante Wopkensio l. c.

teriam dederunt, emitteres Catonem, non quidem meliorem, sed tamen securiorem?

Tum ille: Leges quid Maternus sibi debuerit[1], et agnosces, quae audisti: quod si qua omisit Cato, sequenti recitatione[2] Thyestes dicet: hanc enim tragoediam disposui iam, et intra me ipse formavi. Atque ideo maturare libri huius[3] editionem festino, ut, dimissa priore cura, novae cogitationi toto pectore incumbam.

Adeo te tragoediae istae non satiant, inquit Aper, quo minus, omissis orationum et curarum[4] studiis, omne tempus modo circa Medeam, ecce nunc circa Thyestem consumas? quum[5] tot amicorum causae, tot coloniarum et municipiorum clientelae in forum vocent, quibus vix suffeceris[6], etiam si non novum tibi ipse negotium importasses[7], Domitium et Catonem, id est, nostras quoque historias et Romana nomina Graeculorum[8] fabulis aggregares.

1 En ipsam codd. Vatic. et Farnes. scripturam, in qua nihil adeo desideratur: quam iam Oberlinus, presse sequente Dronkio, receperat, addito pronomine *tu*, quod codicum auctoritate caret. Ed. Spir. *leges tu quidem Maternus sibi debueris*; Ald. cum aliis Edd. *leges tu quidem si volueris*, quae lectio multos invenit defensores. Et alia alii commenti sunt.

2 Olim ferebatur, etiam in Ald., *tractatione*, quod ope codd. Vatic. a Brotierio correctum est et suum sibi locum in editionibus omnibus vindicavit. Idem iam Lipsius divinarat.

3 Unus Schulzius *huius libri*. Mox pro *festino*, quod omnes libri habent, quodque post alios, ut Wopkensium l. c. aptissima exempla eiusdem dictionis afferentem, nuper C. Guil. Ph. Schneider. Obs. in Tacitum et Sallustium, Vimariae 1815, p. 4. recte defendit, Gronovius *gestio*, Heinsius *destino*, quod Oberlino et Schulzio ita placuit, ut adeo in contextum susciperent. Cf. Oudendorp. ad Apuleii Metamorph. VIII. p. 558., qui apposite confert *festino deproperare coronas*, ex Horat. Od. II, 7.

4 Bene revocavit Dronkius omnium librorum lectionem *curarum*, cuius loco Lipsio duce fere omnes scripserunt *causarum*. Sed non intelligo cum Dronkio *cura* de oratione, qua significatione *curarum* post *causarum* prorsus otiosum fuisset. Immo de clientelis accipe statim memoratis et omnis generis muneribus vel laboribus aliorum commodo suscipiendis.

5 Inserit Seebodius in ed. alt. *te*.

6 Sic e codd. Vatic. Dronkius pro vulgata *sufficeres*, quod cum Ald. vett. Edd. tenent.

7 Acidalius *imposuisses*.

8 Recepi codicum lectionem, immerito neglectam ab editoribus, quibus quod habent Edd. vett. cum Ald., *Graecorum* praestare visum est, quod isti formae locus non esse aptus. Quidni vero sumamus, *Graeculorum fabulas* Aprum levi aliqua cavilla-

Cap. IV.

Et Maternus: Perturbarer hac tua severitate, nisi frequens atque[1] assidua nobis contentio iam prope in consuetudinem vertisset. Nam nec tu agitare et insequi poetas intermittis, et ego, cui desidiam advocationum obiicis[2] quotidianum hoc patrocinium defendendae[3] adversus te poeticae exerceo. Quo laetor magis oblatum nobis iudicem, qui me vel in futurum vetet versus facere, vel, quod iam pridem opto, sua quoque auctoritate compellat, ut, omissis forensium causarum[4] angustiis, in quibus satis mihi superque sudatum est, sanctiorem istam et augustiorem[5] eloquentiam colam.

Cap. V.

Ego vero, inquit Secundus, antequam me iudicem Aper recuset, faciam, quod probi et modesti[6] iudices solent, ut in his cognitionibus se[7] excusent, in quibus manifestum est, alteram apud eos partem gratia praevalere. Quis enim nescit, neminem mihi coniunctiorem esse et usu amicitiae et assiduitate contubernii quam Sa-

tione dixisse? praesertim quum contra maiestatem populi Romani Maternus Graecorum fabulis Romana quoque nomina et historias aggregaret. Mox *aggregares* Edd. vett. cum Ald. Ex Pithoei et Mureti coniectura nonnulli *aggregare*.

1 Reduxit Ernestius pro vulg. *ac*. Ad v. *agitare*, quae mox sequitur, adscripsit Wopkens l. c. p. 382: „Fallitur S. F. D. auctoris huius censor rigidior, in supplem. Act. Erud. T. X. p 232. eum scribit inauditum priscis *agitare* pro exagitare. vid. literatores ad Florum I, 8, 7 et Sallust. Cat. c. 38 extremo."

2 In hac lectione, quam ex libro uno fortasse Farnesiano Lipsius acclamatione recentiorum editorum restituit, donec aliquis meliora codicum auctoritate nisa edat, interim acquiescendum puto. Edd. vett. cum Ald. *cui desidiam advocamur*, omisso *obiicis*. Muretus coniecerat *qui desii iam advocari*.

3 *Defendens* Edd. vett. cum Ald. ante Lipsium, qui ex suo libro *denfendendae* dedit.

4 Quod e codd. Vatic. pridem alii receperunt, id mihi quoque recipiendum visum, quamquam quod in Edd. vett. legitur *Musarum*, haud plane displicet. *Musarum* defendit Langius Diss. de Dialogi nostri auctore p. XXVII. ed. Dronk. Illud coniectando iam olim assecuti erant Schelius et Schultingius.

5 Ed. Spir. *angustiorem*, quod defendi posse putabat Langius l. c.

6 Unus Vatic. *moderati*. Mox Heumannum *ut his cognitionibus* legentem reprobavit Wopkens. l. c.

7 Pronomen, quod ab Edd. vett. et Ald. abest, primus inseruit Pithoeus, quem posteriores editores secuti sunt.

leium Bassum, quum optimum virum, tum absolutissimum poetam? Porro si poetica accusatur, non alium video reum locupletiorem.

Securus sit, inquit Aper, et Saleius Bassus et quisquis alius studium poeticae et carminum gloriam fovet, quum causas agere non possit. Et ego enim[1], quatenus[2] arbitrum[3] litis huius inveni, non patiar, Maternum societate[4] plurium defendi; sed[5] ipsum solum apud vos arguam, quod natus ad eloquentiam virilem et oratoriam, qua parere[6] simul et tueri amicitias, adsciscere necessitudines[7],

1 Sic ex Edd vett. et Ald. cum Dronkio aliisque interim scripsi, dum alii iique gravissimi viri omittunt *et*, non sine causa: quid Codd. hoc loco exhibeant, compertum non habemus. Valde enim displicet positio *et ego enim* a Ciceronis usu prorsus aliena, ab aliorum scriptorum fortasse haud minus.

2 Sollicitarunt multi. Wolfio placebat Mureti lectio *quando te nunc.* Bene vero habet *quatenus*, a Dronkio illustratum, neque opus est personae pronomine *te*.

3 Vett. Edd. cum Ald. *arbitrium* et mox eaedem *invenire* praeter Ald. quae habet *inveniri*. Locus ut nunc fertur, correctus est a Pithoeo, quem plurimi editores secuti sunt. Et interim in hac affectissimi loci lectione acquiescendum erit, dum quid Codd. praebeant, aliquando cognoverimus.

4 Ita, teste Lipsio, liber Farnes., cui recentiores editores obtemperarunt. Edd. vett. cum Ald. *solicite*, cuius loco Pithoeus monuit legi posse *sollicitudine*. Mox Edd. vett. cum Ald. *plurimum* pro *plurium*.

5 Edd. vett. cum Ald. *sed et*. Primus Muretus *et* delevit, applaudentibus plerisque editoribus. Alii Rhenanum *sed id* corrigentem sequi maluerunt. Mox Edd. vett. cum Ald. *eo* pro *vos*, quod primus Lipsius restituit.

6 Recte ita Dronkius e codd. Vatic. et edit. Spir. *Parare*, ut vulgo legitur, Ald.

7 Codicum Vatic., quorum duo *adsciscere necessitudines*, unus *adsc. necessitates*, auctoritatem secutus, vulgatam omnium edd. lectionem *adsciscere nationes* mutavi. Et Dronkius in Annotatione dubitabat, receptam nunc scripturam reciperetne et ipse: maluit tamen vulgatam retinere propter Apri verba c. 3: *quum tot amicorum causae, tot coloniarum* etc. Quid vero haec ad locum nostrum? *Necessitudines* praetuli propter vulgarem vocis usum, etsi *necessitates* defendi potest rariori dicendi aliquo genere, quod Gellius XIII, 3. explicuit. Denique vereor, ne Latine *sibi* ad *adsciscere nationes* addendum fuerit, si quidem *adsciscere nationes* idem est atque in clientelam accipere. Alicubi Cicero dixit *alienam provinciam sibi adsciscere.* Idem II. Verr. IV, 10: *adsciverunt illud sibi oppidum piratae.* Alienum vero est eiusdem pro Pisone 11: *me patronum unum adsciverunt.* Mox pro *omittit* Ed. Spir. *amitti;* Ald. cum aliis Edd. vett. *amittit*. Rhenanus *omittit*, quod Wolfio probatum, omnes fere ad Dronkium usque susceperunt. De discrimine utriusque verbi consulas Bremium et Goerenz. ad Cic. Fin. I, 17, 56.

complecti provincias possit, omittit studium, quo non aliud in civitate nostra[1] vel ad utilitatem fructuosius[2], vel ad dignitatem amplius, vel ad Urbis famam pulchrius, vel ad totius imperii atque omnium gentium notitiam illustrius excogitari[3] potest. Nam si ad utilitatem vitae omnia consilia factaque[4] nostra dirigenda sunt, quid est[5] tutius[6], quam eam exercere artem, qua semper armatus praesidium amicis, opem alienis, salutem periclitantibus, invidis vero et inimicis metum et terrorem ultro ferat[7], ipse securus, et velut quadam perpetua potentia ac potestate munitus? Cuius vis et utilitas, rebus prospere[8] fluentibus, aliorum perfugio[9] et tutela intelligitur: sin proprium periculum increpuit[10], non hercule lorica et[11] gladius in acie firmius munimentum, quam reo et[12] periclitanti eloquentia, praesidium simul et telum, quo propugnare pariter et incessere, vel[13] in iudicio sive

1 Spir. *vestra*, quod correxit Puteolanus.

2 Schulting. inserendum putat *vel ad voluptatem honestius*, quia c. seq. de voluptate eloquentiae agitur, inter honestas voluptates relata. OBERLIN.

3 Ald. *rexcogitari.*

4 Edd. vett. cum Ald. *facta.* Copulam adiecit Lipsius e libro Romano, omnibus probatam. Et codd. duo Vatic. *factaque per nostra.* Nolim vero illud *per* a Vaticanis interpositum negligi: nam quamvis vitiosum, genuinam scriptoris manum celare videtur. Suspicor latere *perinde,* quod saltim adiectum puta ex usu Taciti, qui Hist. IV, 36. dicit *Sed miles secundis adversisque perinde in exitium ducum accendebatur.*

5 Bene sic Dronk. e codd. Vatic. Edd. vett. cum Ald. *enim,* cuius loco Puteolanus *erit* scripsit, quod omnes fere deinceps amplexi sunt.

6 Acidalius coni. *utilius.*

7 Praeter Dronkium, qui e codd. Vatic. et Edd. vett. *ferat* reduxit, recentiores editores omnes *feras,* Lipsium secuti. Idem tamen iam Ald. De pronomine indefinito mente supplendo quaedam contulit Dronkius.

8 Edd. vett. cum Ald. *prope.* Quod nunc legitur, ab Ernestio primum receptum, debetur codd. Vatic. Pithoeus *probe*, quod defendi posse putabat Wopkens. l. c. p. 383.

9 Bene ita e codd. Vatic., quorum unus *profugio,* pro *praesidio* scripsit Dronkius, qui addit, *profugio* legi in libris impressis ad unum omnibus. Sed in nonnullis recentiorum aetatum *praesidio* vulgatur: et sic Ald. quoque.

10 Lipsius e cod. Farnes. Antea *irrepat:* id Ald. quoque.

11 Codd. Vatic. et Edd. vett. *loricae,* unde Rhenanus *lorica aut,* quod tenent Ald. et reliqui tantum non omnes. Cum Dronkio Seebodii coniecturam suscepi, utpote a scriptura codd. minus abhorrentem. Sed praestat Rhenani lectio.

12 Copulam praeeunte Acidalio quidam delent.

13 Muretus *sive* legi vult, quem Heumannus et Imm. Bekkerus secuti sunt. Bene Dronkius vul-

in Senatu sive apud principem, possis. Quid aliud infestis Patribus nuper Eprius Marcellus quam eloquentiam suam opposuit? qua [1] accinctus et minax, disertam quidem, sed inexercitatam et eiusmodi certaminum rudem Helvidii sapientiam elusit. Plura de utilitate non dico, cui parti [2] minime contradicturum Maternum meum arbitror.

Cap. VI.

Ad voluptatem oratoriae eloquentiae transeo, cuius iucunditas non uno aliquo [3] momento, sed omnibus prope diebus et prope omnibus horis contingit. Quid enim dulcius libero et ingenuo animo et ad voluptates honestas nato, quam videre plenam semper et frequentem domum suam [4] concursu splendidissimorum hominum, idque scire, non pecuniae, non orbitati, neque [5] officiis alicuius administrandis [6] sed sibi [7] ipsi dari? illos [8] quinimmo orbos et locupletes et potentes venire plerumque ad iuvenem et pauperem, ut aut sua aut amicorum discrimina commendent. Ullane tanta ingentium opum ac magnae potentiae voluptas, quam spectare homines veteres [9] et senes et totius orbis [10] gratia subnixos in summa omnium rerum abundantia confitentes, id, quod optimum sit, se

gatam servavit. Dicitur enim *sive-vel*, rarius vero *vel-sive* vel *aut-sive*. Cf. Oudendorp. ad Apuleii Metam. V. p. 373, nostri loci haud immemorem, quem recte adversus Muretum defendit. Praeterea v. *Allg. Schulzeitung*. 1828. No. 81. p. 664.

1 Edd. vett. cum Ald. *qui*. Repositum *qua*, quod omnium paene suffragia tulit, Ursino debetur.

2 Ita Lipsius e libro veteri, quicum consentiunt codd. Vatic. Edd. vett. atque Ald. *cum praesertim*; Spir. *cum partim*.

3 Hoc e codd. Vatic. edidit Ernestius, quem plerique secuti sunt, pro *aliove*, quod in Edd. vett. et in Ald. quodque Wopkens. l. c. defendi posse asserit.

4 *Suam* addidit Dronkius e codd. Vatic., quibus sane obtemperandum est. Edd. priores omittunt; neque desideratur pronomen.

5 Haud displicet *non*, in uno cod. Vatic. inventum. Edd. omnes, ut vulgatum.

6 Ita Edd. vett. universae ante Lipsium, qui *officii alicuius administrationi* primus dedit, quod editores sequiores paene omnes ad Dronkium usque probarunt. Ex uno Cod. Vat. *officii* affertur: *administrationi* ibi simul exstare, non annotatur.

7 Gronov. malebat *tibi*, quod Schulz. suscepit.

8 E duobus codd. Vatic. Dronkius *istos*. Mox *et potentes*, quod ab Edd. vett. omnibus abest, reduxit e libro scripto Lipsius.

9 Iniuria *veteres* nonnullos offendit.

10 Lipsius aliique *urbis*. Codd. et Edd. vett. cum Ald. *orbis*. Mox

non habere? Iam vero, qui togatorum comitatus et egressus! quae in publico species! quae in iudiciis veneratio! quod gaudium consurgendi assistendique inter tacentes, in unum conversos! coire populum, et circumfundi coram [1], et accipere affectum, quacumque orator induxerit [2]! Vulgata dicentium gaudia et imperitorum quoque oculis exposita parva censeo [3]. Illa secretiora et tantum ipsis orantibus nota maiora sunt. Sive accuratam meditatamque profert [4] orationem, est quoddam sicut ipsius dictionis, ita gaudii pondus et constantia: sive novam et recentem [5] curam non sine aliqua trepidatione animi [6] attulerit, ipsa sollicitudo commendat eventum et lenocinatur voluptati. Sed extemporalis audaciae atque ipsius temeritatis vel praecipua iucunditas est. Nam in [7] ingenio quoque, sicut in agro, quamquam alia diu serantur atque elaborentur, gratiora tamen, quae sua sponte nascuntur.

Cap. VII.

Equidem, ut de me ipso [8] fatear, non eum diem laetiorem egi, quo mihi latus clavus oblatus est, vel quo homo novus et in civitate minime favorabili natus quae-

Schulz. *rerum omnium*, nescio unde.

1 Ita Edd. vett. c. Ald. et plerique editores. Acidalius *coronam;* Heinsius et Schulzius *corona*, quod nonnulli amplexi sunt *Coram* c. Dronkio retinui.

2 Sic Edd. vett. cum Ald. Quid Codd. teneant, non liquet. Vulgatur hodie ex Lipsii ingeniosa coniectura *quemcunque orator induerit*, in qua nihil sane desideraveris. Et defendit eam Oudendorp. ad Apuleii Metam. II. p. 168. Sed neque in antiqua lectione nunc recepta quidquam desideratur, modo *quacumque* interpretere *quocumque modo*. Et nunc video, receptam lectionem a G. Jacobo probari in Add. ed. Dronk. p. 244.

3 Edd. vett. *percenseo* pro *parva censeo*, quod ex antiquioribus una Ald. habet. Hoc unice verum, quod bene intellexit Dronkius, sed qui *percenseo* cum plerisque retinuit.

4 Sic bene Dronkius ex uno Vatic. scripsit: alius certe *proferre*. Edd. vett. cum Ald. et recentiores *affert*, quod licet per se non spernendum, tamen propter sequens *attulerit* displicet.

5 *Novam et recentem nec accuratam* omisso *curam* Acidalius; *novam et repentem* Ernestius coniecit.

6 Debetur Pichenae *animi*, quod omnes amplexi sunt. Codd. et Edd. vett. cum Ald. *animus*.

7 Addidit praepositionem primus Pithoeus, quem recentiores secuti sunt. Abest ab Edd. vett.

8 Cum Dronkio e codd. Vatic. scripsi *ipso*, quod dudum Rhenanus scripserat et quod hinc nonnulli amplexi sunt. Edd. vett. cum Ald., Cod. Venetus a Pichena allatus *ipse*, quod plurimi susceperunt.

sturam aut tribunatum aut praeturam accepi quam eos, quibus mihi pro mediocritate huius quantulaecumque in dicendo facultatis aut reum prospere defendere, aut apud centumviros causam aliquam feliciter orare, aut apud principem ipsos illos libertos et procuratores principum tueri et defendere datur. Tum mihi supra tribunatus et praeturas et consulatus ascendere videor, tum habere, quod, si non in animo oritur [1], nec codicillis [2] datur, nec cum gratia venit. Quid? fama [3] et laus cuius artis cum oratorum gloria comparanda est, qui non illustres in Urbe solum [4] apud negotiosos et rebus intentos,

1 Edd. vett. cum Ald. *abire quod si non in alio oritur,* vitiose. Pro *abire* restituendum esse *habere* Muretus, pro *alio-animo* Freinshemius optime viderunt. Hinc lectio illa evasit, quam post alios recepi quamque cum Dronkio optimam censeo, donec melior e Codicibus aliquando afferatur. Virorum doctorum commenta, quae enumerarunt Schulzius Exc. II et Dronkius, quum sani nil afferant, repetere taedet. Unam afferam coniecturam Oudendorpii, a Dronkio praetermissam, quamvis inutilem, ad Apuleii Metam. III. p. 227: *tum habere, quod scilicet non in alvo oritur, nec in codicillis datur, nec cum gratia venit.* Haud magis commendatur Fähsii, *ambire* in *abire* latere suspicantis coniectura, in Syll. Lect. p. 463, a Dronkio non animadversa.

2 Scriptura est codd. Vatic. atque etiam Ald., a plerisque nunc recepta. Edd. vett. *in codicillis.* Mox *cum* unus Acidalius deletum voluit, cui nemo obtemperavit. Infra Noster c. 13. *adligati cum adulatione.* Hist. III, 81. *virgines cum honore dimissae,* et passim. Similiter Quintilianus X, 1, 72. *cum venia leguntur.* Ovid. Trist. IV, 2, 104. *cum venia facito, quisquis es, ista legas.*

3 Recepi Dronkii lectionem ex Edd. vett. conflatam, quae cum Ald. *Quid fama* habent. Quod deinde necessario scribendum erat *cuius* pro *cuiusvis,* debetur Edd. Spir. et Puteolan. Aldina retinet *cuiusvis.* Lipsius et Pithoeus scripserant *quae fama;* Seebodius in alt. ed. *quid? quae fama.*

4 Vulgatam, a Puteolano primum exhibitam, omnes editores posteriores expresserunt, atque ego suscepi, licet cunctanter. Vetera enim exemplaria prorsus alia narrant. Duo enim codd. Vatic. *illustres et non in urbe solum,* tertius *illustres et non solum.* Ed. Spir. *illustris et in urbe solum.* Quod fertur in Codd. *et non,* non videtur vitium esse, sed genuinam lectionem tantum occultare. In *non* enim facile est agnoscere *nomine,* tralatitio scribendi compendio absconditum. Porro si teneamus *illustris* atque extremam litteram seiungamus, qua *illustri* prodit, haud minus facilis est coniectura, in *set* (*s et*) latere *sunt:* quo suscepto simul verbum lucramur, quo aegre caruimus. Igitur, si quid video, scribendum: *qui non illustri sunt nomine in Urbe solum* etc. Cic. de Off. I, 22. *quamvis Themistocles iure laudetur, et sit eius nomen quam Solonis illustrius.*

sed etiam apud iuvenes et adolescentes, quibus modo recta et indoles[1] est et bona spes sui? Quorum nomina prius parentes liberis suis ingerunt? Quos saepius vulgus imperitum et tunicatus hic populus transeuntes nomine vocat et digito demonstrat? Advenae quoque et peregrini iam in municipiis et coloniis suis auditos, quum primum Urbem attigerunt[2], requirunt ac vultus agnoscere[3] concupiscunt.

Cap. VIII.

Ausim contendere, Marcellum hunc Eprium[4], de quo modo locutus sum, et Crispum Vibium[5] (libentius enim novis et recentibus quam remotis et oblitteratis exemplis utor) non minus [notos][6] esse in extremis partibus terrarum, quam Capuae aut Vercellis, ubi nati dicuntur: nec hoc illis alterive ter millies sestertium praestat, quamquam ad has ipsas opes possunt videri eloquentiae beneficio venisse, sed ipsa eloquentia[7], cuius numen et coelestis vis multa quidem omnibus seculis

1 Expressi cum Brotier. et Oberlin. lectionem codd. Vatic., quam, omissa copula *et*, Dronkius quoque suscepit. Edd. vett. cum Ald. *quibus morum et indoles*, ex quo V. D. varias effecerunt scripturas, quas taedet transcribere.

2 Spir. *attingerent*.

3 Mavult Dronk. *cognoscere*: non opus videtur.

4 Contenti interim simus hac lectione Puteolani, omnibus probata. Aliud autem habebat librarius codicis, quem expressit Spir. exhibens *Marcellum habẽ proprium*.

5 Ald. *Ubium*.

6 *Notos*, quod primus Ursinus inseruit, ab Edd. vett. omnibus abest. Aliquid excidisse hoc loco omnes praeter Barthium viderunt, qui vulgatam ferri posse arbitratur. Plurimi adsciverunt *notos*. Ex Schelii coni. Oberlinus edidit *non minus nosci*. Wopkens. l. c. p. 365. coniecit *non minus innotuisse in* etc.

7 Vexatissimo hoc loco, sine codicum ope non sanando, dedi lectionem e coniectura quidem natam, multis vero probatam, ut pro vulgata haberi possit: quamquam multum abest, ea ut credam Taciti manum exprimi. *Illis alterive* Ernestio debetur, cui ansam dedit Huetii *illi alterive*. Edd. vett. cum Ald. *nec hoc illis alterius ter millies sestertium praestat, quamquam-venisse, ipsa eloquentia*; quae scriptura innumeras paene coniecturas peperit, in quibus afferendis modus habendus est. Lipsius: *nec hoc illis alterius ter millies, alterius bis millies HS. praestat* (— *beneficio pervenisse*) *sed ipsa eloquentia*. Bipontin. et Oberlinus: *nec hoc illis saltem ter millies praestat* (*quamquam — venisse*) *ipsa eloquentia*. Ego quidem in his tenebris lucem non video.

exempla edidit, ad quam[1] usque fortunam homines ingenii viribus pervenerint. Sed haec, ut supra dixi, proxima, et quae non auditu cognoscenda, sed oculis spectanda habemus[2]. Nam quo sordidius et abiectius nati sunt, quoque notabilior paupertas et angustia rerum[3] nascentes eos circumsteterunt, eo clariora et ad demonstrandam oratoriae eloquentiae utilitatem[4] illustriora exempla sunt: quod sine commendatione natalium, sine substantia facultatum, neuter moribus egregius, alter habitu quoque corporis contemptus, per multos iam annos potentissimi * *[5], ac, donec libuit, principes fori, nunc

1 Cum Dronkio e codd. Vatic. scripsi pro *quantam*, quod Edd. priores omnes habent, neque aliter Ald.

2 Ita Lipsius e libro Farnes. reposuit, quem Pithoeus, Seebodius et Dronkius secuti sunt. Alii alia commenti sunt. Edd. vett. inter se non consentiunt. Complures: *sed habet ut supra dixi propriam et quae non cognoscenda, sed oculis exspectanda haberemus;* aliae *sed habet ut supra dixi propria et quae non cognoscenda sed oculis exspectanda habemus.* Inter has est Ald.

3 Codd. Vat. et Spir. *angustia ereptum,* unde Puteolanus *angustia rerum* et sic Ald. Ex Lipsii coniectura cum aliis Dronkius *angustiae rerum* dedit. Puteolani lectionem cum Oberlino expressi ad usum scriptoris. Annal. IV, 72: *Tributum iis Drusus iusserat modicum, pro angustia rerum.* Haud mala est Rud. Agricolae coniectura *angustia parentum.*

4 Acidal. *nobilitatem.*

5 In Edd. vett. post *potentissimi* vacuum est unius alteriusve vocabuli spatium, quod vario modo tentarunt explere viri docti. Rud. Agricola excidisse putabat *in iudiciis*, quod optimum videtur, quia sequentia verba *ac, donec libuit, principes fori* eorum quae praecedunt, quibus arte cohaerent, gradationem tantum continent. Lipsius *sunt civitatis,* et sic iam Ald., quod prorsus alienum ab hoc loco est; ut enim non premam verbum *sunt,* quo totius orationis concisae progressio admodum venusta perit, *potentissimi civitatis* qui erant, profecto *principes fori* dici non poterant, nisi ab excelsiori potentiae fastigio ad inferius deflectere voluisset Noster: immo ad maiora imperii signa evehitur scriptor, non solum in foro i. e. in causis agendis sed adeo in amicitia Caesaris principes Marcellum et Crispum esse dicens. Praeterea praeter Caesarem quis privatus tunc temporis *potentissimus civitatis* sine offensione dici poterat? Annal. XI, 31: *satis constat, eo pavore offusum Claudium, ut identidem interrogaret, an ipse imperii potens, an Silius privatus esset?* Contra optime habet oratoris epitheton *potentissimus,* hac in re solemne et proprium. Iulius Capitolinus Maximino c. 3: *Messalam ex familia nobili oratorem potentissimum eundemque doctissimum.* Nihilo tamen secius hoc supplementum a Lipsio inde omnes paene editiones ad nuperam usque Dronkii ipsam occupavit. Ego, manu scriptorum auxilium exspectans, lacunam malui asteriscis designare.

haberemus, hoc loco [illegible] Latinitas cf. Spalding ad Quinctil. I, 4. Döderl. krit. Miscellen im Rhein. Mus. f. Philol. Jahrg. III [illegible] S. 19. (u. zu ann. II, 88.)

principes in Caesaris amicitia, agunt feruntque[1] cuncta, atque ab ipso principe cum quadam reverentia diliguntur: quia Vespasianus, venerabilis senex et patientissimus vir[2], bene intelligit, caeteros quidem amicos suos niti iis[3], quae ab ipso acceperint, quaeque ipsi accumulare et in alios congerere promptum est, Marcellum autem et Crispum attulisse ad amicitiam suam, quod non a principe acceperint, nec accipi possit. Minimum inter tot ac tanta locum obtinent imagines ac tituli[4] et statuae, quae neque ipsa tamen negliguntur, tam hercule quam divitiae et opes, quas facilius invenies, qui vituperet, quam qui[5] fastidiat. His igitur et honoribus et ornamentis et facultatibus refertas domos eorum videmus, qui se ab ineunte adolescentia causis forensibus et oratorio studio dederunt.

CAP. IX.

Nam carmina et versus, quibus totam vitam Maternus insumere optat (inde enim omnis fluxit oratio), neque dignitatem ullam auctoribus suis conciliant, neque utilitates[6] alunt: voluptatem autem brevem, laudem inanem et infructuosam consequuntur. Licet haec ipsa, et quae deinde[7] dicturus sum, aures tuae, o[8] Materne, respuant: cui bono est[9], si apud te Agamemnon aut Iason

1 Insueta hac formula non sine causa haesit Ernestius. Idem sensit Schneiderus Obs. in Tacitum p 5, qui *agunt geruntque* legendum suadet. Vulgatam defendit G. Iacobus in Add. ed. Dronk. p 245.

2 Ita Edd. vett. cum Ald., quas Ernestius et alii postea secuti sunt. Alii autem Lipsii coniecturam *patientissimus veri* amplexi sunt, quos inter Wopkensius quoque nominandus, l. c. p. 386. Acidal. *sapientissimus vir*, quod valde placet. Heinsii commenta, quae importunos ingenii lusus recte dixeris, omitto.

3 Pronomen, quod ab Edd. vett. omnibus abest, restituit Lipsius, qui etiam mox *ipsis* pro *ipsi*, quod codd. Vatic. et Edd. vett. cum Ald. tenent.

4 Pro *ac tituli* ante Lipsium ferebatur *Attuli*.

5 E codd. Vatic. Ernestius pronomen, quae iam Mureti fuit emendatio, suscepit, iure applaudentibus recentioribus editoribus. Aberat ab Edd. vett. et Ald.

6 Barthius Adversar. XLIV, 25. *utilitate se* mavult.

7 Unus Vatic. *deinceps*.

8 Exclamationem, a prioribus omissam, quae in Edd. vett. et Ald. legitur, restituit Seebodius.

9 Pro *cui bono est, si* Edd. vett. *crebro est, si;* Ald. *crebro etsi*. Quod vulgatur, debetur Lipsii acumini. Fortasse haud minus apte legas *cui prodest, si*. Ovid. Heroid. XVIII, 173: *quid mihi, quod lato non separor aequore, prodest?*

diserte loquitur? Quis ideo domum defensus et[1] tibi obligatus redit? Quis Saleium nostrum, egregium poetam, vel, si hoc honorificentius est, praeclarissimum vatem deducit aut salutat aut prosequitur? Nempe si amicus[2], si propinquus, si denique ipse[3] in aliquod negotium inciderit, ad hunc Secundum recurret[4], aut ad te, Materne, non, quia poeta es[5], neque ut pro eo versus facias: hi enim[6] Basso domi nascuntur, pulchri quidem et iucundi, quorum tamen hic exitus est, ut, quum toto anno, per omnes dies, magna noctium parte, unum librum extudit[7], et elucubravit[8], rogare ultro et ambire cogatur, ut sint, qui dignentur audire, et ne id quidem gratis. Nam et domum mutuatur et auditorium exstruit et subsellia conducit et libellos dispergit: ut[9] beatissimus recitationem eius eventus prosequatur, omnis ista[10] laus intra unum aut alterum diem velut in herba vel flore praecepta[11] ad nullam certam et solidam pervenit frugem; nec aut amicitiam inde refert, aut clientelam aut mansurum in animo cuiusquam beneficium, sed clamorem vagum et voces inanes et gaudium volucre. Laudavimus nuper, ut miram et eximiam Vespasiani liberalitatem, quod quingenta sestertia Basso donasset. Pul-

1 Copula apud nonnullos male excidit.

2 Addebatur a Lipsio inde *eius*, quod cum Seebod. ed. pr. Dronkius bene expunxit.

3 Addidit *ipse* Lipsius, quod merito applausum editorum tulit. Spir. *si denique in aliquod*. Puteolanus *aliquis* interposuerat, et sic Ald.

4 Gronov. coniiciebat *decurret*. Vulgatam bene defenderunt Heumannus et Wopkensius l. c. allatis exemplis, quibus *recurrere* pro confugere positum. Neque aliter accepisse videtur Dronkius.

5 Ita Spir. et ita cum Lipsio plurimi scripserunt. Aliae Edd. vett. cum Ald *recurret, non ad te Materne, quia poeta es.*

6 Pro *enim* Oberl. *etiam*. Seebodius ed. post. *hi enim etiam*. Edd. vett. ut vulgatur.

7 Debetur Lipsio: suscepere paene omnes editores. Edd. vett. cum Ald. *extulit*. Pithoeus *excudit*.

8 Sic cum Lipsio et omnibus, qui secuti deinceps sunt, editoribus scripsi pro *lucubravit*, quod cum Ald. Edd. vett. tenent, quodque hinc suscepit Dronkius. *Elucubravit* enim differt sensu ab iis locis, quae ad defendendam suam lectionem admovit Dronkius. Aliud *elucubrare*, aliud *lucubrare*.

9 Quod a Lipsio inde editores omnes ante *ut* posuerunt *et*, id quoniam in Edd. vett. omittitur, delevit Dronkius, cui obtemperandum duxi.

10 Edd. vett. cum Ald. et recentiores *illa*. Receperunt Seebodius et Dronkius e cod. Vatic. uno *ista*.

11 Debetur Lipsio. Edd. vett. cum Ald. *percepta*.

chrum id quidem, indulgentiam principis ingenio mereri; quanto tamen pulchrius, si ita res familiaris exigat, se ipsum colere, suum ingenium propitiare [1], suam experiri liberalitatem [2]? Adiice, quod poetis, si modo dignum aliquid elaborare et efficere velint, relinquenda conversatio amicorum et iucunditas Urbis, deserenda caetera officia, utque ipsi dicunt, *in nemora et lucos*, id est, in solitudinem [3], recedendum [4] est.

Cap. X.

Nec [5] opinio quidem et fama, cui soli serviunt, et quod unum esse pretium omnis sui laboris fatentur, aeque poetas quam oratores sequitur, quoniam mediocres poetas nemo novit, bonos pauci. Quando enim rarissimarum recitationum [6] fama in totam Urbem penetrat? nedum [7] ut per tot provincias innotescat. Quotusquisque, quum ex Hispania vel Asia, ne quid de Gallis [8] nostris loquamur, in Urbem venit, Saleium Bassum requirit? atque adeo si quis requirit et [9] semel vidit, transit et contentus est, ut si picturam aliquam vel statuam vidisset. Neque hunc meum sermonem sic accipi volo, tamquam eós, quibus natura sua oratorium [10] ingenium denegavit, deterream a carminibus, si modo in hac studiorum parte oblectare otium et nomen inserere possunt famae. Ego vero omnem eloquentiam omnesque eius partes sacras et venerabiles puto: nec solum cothurnum

1 Verba *suum ingenium propitiare*, quae ab Editt. vett. et Ald. absunt, e codd. restituit Lipsius, ita tamen ut *genium* corrigeret. Illud primus Seebodius recepit, nunc Dronkio quoque probatum.

2 Edd. vett. nonnullae *libertatem*, quod amplexus est Dronkius. Vulgatam ab omnibus inde a Lipsio probatam tuetur Ald.

3 Verba *in solitudinem* Langio (v. Dronkii Proleg. p. xx.) glossema sapere videntur.

4 Edd. vett. *recedendum*, quod defendi posse cum Seebodio crediderim. Item sensit Wopkens. l. c. Reliqui *secedendum* ex Schelii coniectura.

5 Bene Dronkius ex Edd. vett.; et sic Ald. Vulgo *ne*.

6 Correctio Beroaldi. Spir. et Puteol. *narrationum*.

7 *Metrum* pro *nedum* Edd. vett. praeter Aldinam, in qua, quod hodie ex Lipsii, ut putatur, coniectura vulgatur, iam exstat. Rhenanus pariter *metrum*.

8 Schulting. *Galliis*.

9 Ex Acidalii coniectura Heumann. Schulz. et Oberlinus *ut*. Ex Edd. vett. Seebodius et Dronkius receperunt *et*.

10 Edd. vett. cum Ald. *oratorum*. Correxit Pithoeus.

nostrum[1] aut heroici carminis sonum, sed lyricorum quoque iucunditatem et elegorum lascivias et iamborum amaritudinem et[2] epigrammatum lusus et quamcumque aliam speciem eloquentia habeat[3], anteponendam caeteris aliarum artium studiis credo. Sed tecum mihi, Materne, res est, quod, quum natura tua in ipsam arcem[4] eloquentiae ferat, errare[5] mavis, et, summa adeptus, in levioribus subsistis. Ut si in Graecia natus esses, ubi ludicras quoque artes exercere honestum est, ac[6] tibi Nicostrati robur ac vires Dii dedissent, non paterer, immanes illos et ad pugnam natos[7] lacertos levitate iaculi aut iactu disci vanescere: sic nunc te ab auditoriis et theatris in forum et ad causas et ad vera proelia voco, quum praesertim ne ad illud[8] quidem confugere[9] possis, quod plerisque patrocinatur, tamquam minus obnoxium sit, offendere[10] poetarum quam oratorum studium. Effervescit enim vis pulcherrimae naturae tuae; nec pro amico aliquo, sed, quod periculosius est, pro Catone offendes[11]. Nec excusatur[12] offensa necessitudine officii

1 Bene revocavit Edd. vett. et Ald. lectionem *nostrum* Dronkius: cuius loco Lipsius *vestrum* scripserat, quod reliqui editores probarunt.

2 Copulam, quae abest ab Edd. vett. et Ald., restituit Acidalius.

3 Heumann. coni. *habet:* frustra, iam monente Wopkensio l. c. p. 387. Vide Dronkium.

4 Ita Rhenanus pro *artem,* quod in Edd. vett. legebatur. Ald. *arcem*. Mox post *eloquentiae* ex Acidalii sententia Oberlinus et Seebodius *te* addiderunt. Bene cum aliis reiecit Dronkius. Et servandam esse vulgatam iam Wopkensius l. c. monuerat, exempla simul afferens, quibus usus absolutus v. *ferre* comprobatur. Caeterum suspicatur Nostrum respexisse Lucretii illa II, 7: *Sed nil dulcius est* etc.

5 Schelius coni. *haerere*. Mox pro *adeptus* Acidalius malebat *adepturus*, haud male, iudice Wopkensio l. c. p. 388.

6 *Ac* Lipsio debetur. Abest ab Edd. vett. et Ald. Dronk. coni. *et*.

7 Seebod. *datos*.

8 Cum Dronkio e codd. Vat. scripsimus pro vulgato *id*.

9 Lipsius *consurgere*, quem nonnulli secuti sunt.

10 Debetur Puteolano, quem plurimi secuti sunt. Spir. *obnoxium sicut offendere,* quod Rhenanus in *obn. sit offensis* mutavit et sic Ald. Ernestius probavit Acidalii *obn. sit offensae*. Recentiores editores modo hoc modo illud probarunt. Expressi cum Dronkio Puteolani lectionem.

11 Unice verum, quod codd. Vat. et Spir. exhibent: non enim de Catone Materni solo sermo est, sed simul de omnibus, quas non sine potentium offensa Maternus scripturus est, tragoediis. Cf. c. 3. Omnes vero ad Dronkianam usque editionem retinent Puteolani *offendis*, quod ex c. 2. frustra defenditur.

12 Ante Rhenanum *accusatur*.

aut fide advocationis aut fortuitae et subitae dictionis impetu: meditatus[1] videris elegisse personam notabilem et cum auctoritate dicturam. Sentio, quid responderi possit[2]: hinc ingentes ex his[3] assensus, hinc in ipsis auditoriis praecipue laudari et mox omnium sermonibus ferri[4]. Tolle igitur quietis et securitatis excusationem, quum tibi[5] sumas adversarium superiorem: nobis satis sit, privatas et nostri seculi controversias tueri, in quibus expressis[6] si quando necesse sit, pro periclitante amico potentiorum aures offendere, et probata sit fides et libertas excusata.

Cap. XI.

Quae quum dixisset Aper acrius, ut solebat, et intento ore[7]: remissus et subridens Maternus, Paravi[8], inquit, me, non minus diu accusare oratores, quam Aper laudavit. Fore enim arbitrabar, ut, a laudatione

1 Ante *meditatus* omnes fere editores, atque etiam Dronkius auctore Puteolano, ponunt *at tu*, quod a Spir. abest. Non opus videtur hoc supplemento. Siquid addendum, retinuerim cum Seebodio *tu*, quod propter praecedens *impetu* facile oblitterari potuit.

2 Excidisse quaedam suspicatur Lipsius.

3 Aperto vitio *ex his* Edd. vett. cum Ald., quod interim patienter servavi, quoniam iis quae ad corruptelam tollendam adhuc allata sunt, scriptoris manum indubitate restitui non credam. Cum Mureto et Acidalio Schulzius et Oberlin. *exsistere.* Ex Wolfii coniectura I. Bekkerus et Dronkius *exciri.* Schelius *excitari;* Schulting. *esse his*, quod Seebodius amplexus est. Wopkensius l. c. *possit; ingentis ex his assensus*, *haec in.* Haud male Gesnerus *ex his* tolli volebat tanquam glossema v. *hinc:* quod omnium fortasse optimum commentum.

4 Ita Puteolanus et reliqui. Spir. *fieri.*

5 Ald. *ibi.*

6 Lipsius coni. *expressit.* Cum Heumanno delet Schulzius *expressis*, quod tenent Edd. vett. cum Ald. Schulting. *in quibus et professis.* Ego de mendo laborare hunc locum suspicor.

7 Acidalius malebat *intentior. Intento ore* explicuit Wopkensius l. c. vultu immobili et ad rigorem constantiamque composito, allato Minuc. Fel. Octav. 39: *intentos vultus tenebamus.*

8 Codd. Vatic. *parant.* In Spir. et aliis Edd. vett. nonnullis totus locus ita exstat scriptus: *parat. quid enim me non.* Vulgata debetur Rhenano, et sic Ald. quoque. Mox iidem codd. *laudaverat.* Edd. vett. cum Rhenano et Ald. *laudat*, quod permulti receperunt. Cum Dronkio dedi *laudavit*, quod ex Acidalii coniectura iam Heumann. Schulz. et Oberlin. receperant.

eorum digressus, detrectaret[1] poetas, atque carminum studium prosterneret: arte[2] quadam mitigavit concedendo his, qui causas agere non possent, ut versus facerent. Ego autem sicut in causis agendis efficere aliquid et eniti[3] fortasse possum, ita recitatione tragoediarum ingredi[4] famam auspicatus sum, tum quidem, quum in Neroniis[5] improbam et studiorum quoque sacra profa-

1 Repetii in hoc verbo vulgarem scribendi rationem, incertus, an Tacitus altera *detractare* usus sit omnino. Occurrit vox praeterea c. 12 et 26, ubi Dronkius pariter atque in nostro loco *detractare* praetulit, posteriori et nostro loco Spir. secutus. C. 12. an Spir. pariter hanc formam exhibeat, non annotavit Dronkius. Iis auctoribus, quos Dronkius de recepta forma attulit, addas Oudend. ad Apuleii Metam. p. 315.

2 Revocavi Edd. vett. omnium lectionem, quam Dronkius praeeunte Seebodio ita mutavit, ut scriberet *at arte*. Wopkens. l. c. p. 389, omisso *arte*, coni. *prosterneret, at quaedam*. Ernest. *sed arte*. Acidal. *id arte*; sed *mitigare* absolute dicitur: v. Walchium ad Tac. Agr. 5. p. 142, loci nostri haud immemorem. Non opus omnino hoc in scriptore videtur particula adversativa: si quid tamen mutandum, scripserim *quidem* pro *quadam*. Prudenter poeticae studium Aper iis concesserat, qui causas agere non possent, h. e. artificio quodam sententiae suae, ne everti posset, caverat. Quo sensu absolute *arte* dicitur: v. Liv. III, 10.

3 Est Lipsii correctio, qua, ab omnibus paene recepta, interim contenti simus. Spir. *sicut in causis agendis efficere ut niti*. Puteolan. *sicut in causis agendis niti*, verbis *efficere ut* deletis et post *ingredi* translocatis: hinc, credo, Ald. *sicut in causis agendis eniti*.

4 Puteolan. et Ald. *et ingredi et efficere*. *Ingredi* Ernestio glossam olere videbatur.

5 Edd. vett. cum Ald. *in Nerone improbam et studiorum quoque sacra profanantem vaticinii fregi*, cui loco obscuro et de scriptura laboranti omnium, qui tenebras eius dispellere conati sunt, nemo praeter Gronovium lumen accendere scivit. Is enim Obs. III, 4. pervidit in *vaticinii* latere *Vatinii*, sutoris perditissimi Beneventani, Neronis aetate nomen, praeterea corrigens *in Nerone improbatam*. Quam lectionem plurimi editores certatim et, quod reliquarum omnium coniecturarum optima esset, iure arripuere, quamquam non defuerunt qui ipsorum commenta praestare opinarentur, de quibus nunc melius tacetur. Quantum ad Vatinii mentionem, Gronovius bene, quamvis coniectando, ita loci sensum assecutus est: „Videtur Neroniis, musico agone, de quo Suetonius (Vit. Ner. 12.), contra Vatinium coronatus. Quum Vatinium, inquit, cuius vitia Neronianam quoque aulam onerarunt et gravius infamarunt, audentem etiam immundo suo contactu polluere Musas et in gratiam Neronis non modo poetari sed et tragoediam committere, certans vici et eo redegi, ut nihil illi profuerit sua potentia, quin iudices de illo mihi palmam darent." Haec extra omnem con-

nantem Vatinii potentiam fregi. Hodie [1] si quid in [2] nobis notitiae ac nominis est, magis arbitror carminum quam orationum gloria partum: ac me [3] deiungere a forensi labore constitui, nec comitatus istos et egressus aut frequentiam salutationum concupisco, non magis quam aera [4] et imagines, quae etiam [5], me nolente, in domum meam irruperunt. Nam statum [6] hucusque ad [7] securitatem melius innocentia tueor quam eloquentia; nec vereor, ne mihi umquam verba in Senatu, nisi pro alterius discrimine, facienda sint.

Cap. XII.

Nemora vero et luci et secretum ipsum, quod Aper increpabat, tantam mihi afferunt voluptatem, ut inter

troversiam posita videntur. De Vatinio eiusque flagitiis et potentia apud Neronem v. intpp., quos latuit memorabilis locus Xiphilini p. 296. ed. Sylburg. ubi de Nerone: *τὴν δὲ γερουσίαν οὕτως δεινῶς ἐμίσει, ὥστε καὶ τοῦ Οὐατινίῳ* [vulgatur *Οὐατωνίῳ*] *ὡς μάλιστα χαίρειν, ὅτι ἔλεγεν ἀεί ποτε πρὸς αὐτόν· Μισῶ σε, Καῖσαρ, ὅτι συγκλητικὸς εἶ.* Quid vero illa *in Nerone improbata potentia?* Explicant, „in eo principe ab omnibus bonis reprehensa." Cui autem haec putas dicta a Materno? Num quis tum erat, qui Vatinii potentiam ignoraret, aut Neronis indulgentiam erga Vatinium improbatam esse a bonis dubitaret? Non credo talia dici potuisse a Materno. Quare, Gronovio viam monstrante, in aliam corrigendi rationem incidi, quae mihi, fateor, se ita commendavit, ut quo minus in ordinem susciperem, haud quaquam dubitaverim. Ac quum emendatione locus indigeat, vide tu ipse an audacior nostra videatur altero mutandi modo. Possis autem, hoc si facilius tibi videatur, *Neroneis* scribere, quae forma exstat apud Sueton. Vitell. 14. Et paene eo inclino, ut a Nerone festa illa quinquennalia ad Olympicos ludos instituta potius Graeco nomine putem *Νερώνεια*, *Neronea* appellata esse.

1 Delevi *et*, quod a Lipsio inde voci *hodie* praeponitur. Abest a Spir. et reliquis Edd. vett.

2 *In* deletum voluit Acidalius.

3 Bene ita Dronkius, codd. Vatic. et Edd. vett. secutus. *Ac iam me*, quod vel Lipsio vel Pithoeo debetur, propagarunt omnes paene editores. Idem Dronkius recte revocavit mox *deiungere* ex iisdem codd. et Edd. vett. pro vulgato *seiungere*.

4 Acidal. *quam illa aera*. Cuiacius *quam ceras*.

5 Addebatur in Edd. vett. atque in Ald. *iam*, quod Lipsius delevit.

6 Una, quod sciam, Ald. *statim*. Mox Edd. vett. cum Ald. *cuiusque* pro *hucusque*, quod, a Lipsio profectum, plurimi probarunt, quos inter Dronkius quoque, cui tamen in *cuiusque* aliud quiddam latere videtur. Servato *cuiusque*, Pichena *tuetur* scripsit.

7 Revocavit Edd. vett. et Aldinae lectionem *ad* Dronkius. Vulgo *ac* ex Lipsii coniectura.

praecipuos carminum fructus numerem, quod nec in strepitu, nec sedente ante ostium litigatore, nec inter sordes ac lacrimas reorum componuntur, sed secedit animus in loca pura atque innocentia fruiturque [1] sedibus sacris. Haec eloquentiae primordia, haec penetralia: hoc [2] primum habitu cultuque commoda mortalibus, in illa casta et nullis contacta vitiis pectora influxit: sic oracula loquebantur. Nam lucrosae huius et sanguinantis [3] eloquentiae usus recens et malis moribus natus, atque, ut tu dicebas, Aper, in locum teli repertus. Caeterum felix illud et, ut more nostro loquar, aureum seculum, et oratorum et criminum inops [4], poetis et vatibus abundabat [5], qui bene facta canerent, non qui male admissa defenderent. Nec ullis aut gloria maior . . . . aut augustior honor [6]: primum apud deos, quorum proferre responsa et interesse epulis ferebantur [7]: deinde [8] apud illos Diis genitos sacrosque reges, inter quos neminem causidicorum [9], sed Orphea ac Linum ac, si introspicere altius velis, ipsum Apollinem accepimus: vel, si haec fabulosa nimis et composita videntur,

1 Spir. *frueturque.*

2 Vett. edd. cum Ald. *haec*, quod auctore Lipsio nunc in *hoc* mutatum. Pro *commoda*, ut eaedem Edd. habent, alii *commodata*, alii *compta*, alii denique *commendata:* hoc adeo susceperunt Brotierius et Schulz. Vulgatam cum aliis multis retinui. Sed aut nihil video, aut totus locus graviter affectus est: multis enim modis vel a sententia vel a verbis laborat.

3 Lips. malebat *saginantis;* vulgatam defendit bene Schulzius, quem omnes iam secuti sunt.

4 Debetur Lipsio. Edd. vett. cum Ald. *impos.*

5 Edd. vett. cum Ald. olim *abundat.* Quod legendum viderunt Muretus et Acidalius *abundabat*, codd. Vat. comprobatum est.

6 Locus corruptissimus, sine novorum MS. ope non persanandus. Edd. vett. et Ald. cum lacuna *defenderent. ne aut illud clamore . . . . aut angustiae honor.* Ut vulgata nunc fertur Lipsii lectio *defenderent. Nec ullis aut gloria maior, aut augustior honor*, ex cod. Farnesiano partim conflata est, qui *aut gloria maiore* habet. Et idem latet in codd. Vatic. scriptura licet vitiosa *gloria in ore.* Etenim *gloria* olim exarabatur *gla* et *maiore-more,* unde natum illud *clamore.* Sed lacuna non negligenda, in codd. Vatic. quoque animadversa. Brotierius explevit *aut gloria maior unquam contigit.* Ego, e illud, quod voci *maior* in codd. et Edd. appictum reperitur, amplectens suspicor excidisse *esse potuit.*

7 Heumann. coni. *dignarentur,* sensu passivo. Vulgatam defendit Wopkens. l. c. p. 390.

8 Quod inserunt Edd. vett. cum Ald. *quod,* Lipsius delevit primus.

9 Heumann. *causidicum.*

illud[1] certe mihi concedis, Aper, non minorem honorem Homero quam Demostheni apud posteros, nec angustioribus terminis famam Euripidis aut Sophoclis quam Lysiae aut Hyperidis includi. Plures hodie reperies, qui Ciceronis gloriam, quam qui[2] Virgilii detrectent[3]. Nec ullus Asinii aut Messalae liber tam illustris est quam Medea Ovidii aut Varii[4] Thyestes.

Cap. XIII.

Ac ne fortunam quidem vatum et illud[5] felix contubernium comparare timuerim cum inquieta et anxia oratorum vita. Licet illos certamina et pericula sua ad consulatus evexerint[6], malo securum et quietum[7] Virgilii secessum, in quo tamen neque apud D. Augustum gratia caruit, neque apud populum Romanum notitia. Testes Augusti epistolae, testis ipse populus, qui, auditis in theatro versibus Virgilii, surrexit universus, et forte praesentem spectantemque Virgilium veneratus est, sic quasi Augustum. Ne[8] nostris quidem temporibus Secundus Pomponius Afro Domitio vel dignitate vitae vel perpetuitate famae cesserit. Nam Crispus et Marcellus, ad quorum exempla me vocas, quid habent in hac sua[9] fortuna concupiscendum? quod[10] timent, an quod timentur? quod quum quotidie aliquid rogentur, hi, quibus[11] praestant, indignantur? quod alligati

1 Ex uno Vaticano Dronkius *istud*. Mox Acidal. et Heumann. *concedes*.

2 Pronomen e codd. Vat. Brot. et Ernest. addiderunt; et nunc ita vulgatur.

3 Ald. *detractent*.

4 Verba *aut Varii* absunt a Farnes.

5 Ex uno cod. Vatic. Dronkius *istud* et mox *istos* pro *illos* pariter scripsit.

6 Servavi vulgatam lectionem quae Lipsio debetur: sed an e codice MS. deprompta sit, certo non liquet. Edd. vett. magnopere dissentiunt exhibentes cum Ald. licet *illos agitent certamina et pericula et controversiae*. Seebodius, servata vulgata, addidit *et controversiae*, cancellis tamen inclusa.

7 Sic Dronkius primus e codd. Vatic. scripsit. Antea ex Edd. vett. legebatur *secretum;* ita Ald. quoque. Mox pro *tamen* Ed. Spir. *tum*, quod Rhenanus correxit.

8 *Nec* Lünemannus de suo.

9 Edd. vett. omnes *praesenti*. *Sua* Ernestius e codd. Vatic. revocavit, cui praeter Seebodium omnes obtemperarunt.

10 Praemittitur in Edd. *an*, quod Brotierius cum codd. Vatic. bene delevit. Secuti eum sunt plerique; neque aliter Dronkius. Ernestius deletum maluit alterum *an*.

11 Inserendum putabat Lipsius

cum[1] adulatione, nec imperantibus[2] umquam satis servi videntur, nec nobis satis liberi? Quae haec summa eorum[3] potentia est? tantum posse liberti solent. Me vero *dulces*, ut Virgilius ait[4], *Musae* remotum a sollicitudinibus et curis et necessitate, quotidie aliquid contra animum faciendi, in illa[5] sacra illosque fontes ferant: nec insanum ultra et lubricum forum famamque pallentem trepidus experiar[6]. Non me fremitus salutantium, nec anhelans libertus excitet: nec incertus futuri testamentum pro pignore scribam: nec plus habeam, quam quod possim, cui velim, relinquere, quandoque[7] fatalis et meus dies veniat[8], statuarque tumulo, non moestus et atrox, sed hilaris et coronatus; et pro memoria mei nec consulat quisquam, nec roget.

Cap. XIV.

Vix dum finierat Maternus concitatus et velut in-

non. Sed vulgatam bene explicuit Gronov.

1 In praepositionis usu insolentiori multi offenderunt. Oberlin. delevit; Dronkius uncis inclusit, non tanquam spuriam, ut ait, sed quae emendetur. Nec desunt emendandi conamina, quæ collecta habes a Dronkio. Adde Schneideri Obs. in Tac. p. 6 coniecturam: *alligati communi adulatione.* Wopkens. l. c., quem praetervidit Dronkius: „Nisi autem ad pleonasmum τοῦ *cum* decurrere velimus, non plane inauditum, minima mutatione faciamus potius, *quod alligati sunt adulatione, nec* etc. atque ita venisse ab auctore existimo." Ego nil mutandum censeo. Non absimilem usum supra c. 7 *cum gratia venit* observavimus, ubi vide. Etiam propius est Hist. I, 52 *hiberna legionum cum cura adiit.* Obiter annoto, videri Nostrum, quum *alligatos* dicat istos Principis assentatores, in animo habuisse servos illos, qui, quum in vinculis opus facerent, *alligatorum* nomine appellabantur. Columella I, 9 *vineta plurimum per alligatos excoluntur.*

2 I. Bekkerus *imperitantibus.*

3 Ante Lipsium ferebatur *rerum* pro *eorum.*

4 Verba *ut Virgilius ait* cancellis inclusa leguntur in Spir. et aliis Edd. vett. V. Georg. II, 475. Mox Edd. vett. *remotae,* cuius loco Rhenanus *remotum* scripsit: et ita Ald. et omnes rel. Edd.

5 Dronkius ex uno Vatic. *ista* et mox *istos* suscepit.

6 Frustra hunc locum Schulzius cum aliis sollicitavit.

7 Revocavi ex Spir. *quandoque,* cuius loco ex Puteolani sententia qui secuti sunt editores omnes *quandocumque* scripserunt: atque sic Ald. *Quandoque* enim pro *quandocumque* tum alii scriptores posuerunt (v. Forcellini Lex. v. *quandoque*), tum ipse Tacitus, Ann. I, 6 ubi v. Ernest.

8 Hoc ex codd. Vatic. cum Seebodio dedit Dronkius. Vulgo *veniet*, cuius loco ex legitima scribendi ratione Ernestius postulabat dici *venerit.*

stinctus, quum Vipstanus[1] Messala cubiculum eius[2] ingressus est, suspicatusque[3] ex ipsa intentione singulorum, altiorem inter eos esse sermonem: Num parum tempestivus, inquit, interveni secretum consilium et caussae alicuius meditationem tractantibus?

Minime[4], inquit Secundus; atque adeo vellem maturius intervenisses. Delectasset enim te et Apri nostri accuratissimus sermo, quum Maternum, ut omne ingenium ac studium suum ad causas agendas converteret, exhortatus est, et Materni pro carminibus suis laeta, utque poetas defendi decebat, audentior[5] et poetarum quam oratorum similior oratio.

Me vero, inquit, et sermo ipse infinita voluptate affecisset, atque id ipsum delectat, quod vos, viri[6] optimi et temporum nostrorum oratores, non forensibus tantum negotiis et[7] declamatorio studio ingenia vestra exercetis, sed eiusmodi etiam disputationes[8] adsumitis, quae et ingenium alunt, et eruditionis[9] et litterarum iucundissimum oblectamentum cum vobis, qui illa disputatis, afferunt, tum etiam his[10], ad quorum aures pervenerint. Itaque hercule non minus probari video in te, Secunde, quod Iulii Asiatici vitam componendo spem hominibus

1 Ita codd. Vatic. *Urbanius* Spir., *Urbanus* aliae Edd. vett. cum Ald. Ursinus e cod. vet., ut fertur, *Vibanius*, neque aliter vetus Lipsii liber: hic inde *Vipsanius* scribendum putavit. Seebod. in ed. pr. *Vipstanius*, in altera *Vipstanus*.

2 Pronomen Ernestio videtur a glossatoris manu additum. Mox *est* abesse voluit Acidal.

3 Spir. et Puteol. *suspicaturque*. Mox Spir. *intueri*, quod correxit Puteolanus, pro *intueri*.

4 Semel posui cum Dronkio *minime*, quod in Edd. vett. Ald. et recentioribus bis ponitur. Spir. ut videtur, semel habet. Si iterandum fuisset, auctor, puto, scripsisset *minime, inquit Secundus, minime*.

5 Edd. vett. cum Ald. *audenter*. Repositum primus suscepit Lipsius.

6 Ex recentioribus nonnulli *vere*. Wopkens. l. c. p. 391: „Recte vero renititur [Heumannus] Mureto et Acidalio, languere sensum putantibus, nisi in his *et temporum nostrorum oratores* repetatur *optimi*. Sensus est, et qui nostris temporibus vere oratorum nomen mereamini." Contulit ad hanc. v. *orator* significationem illustrandam c. 15. 30. 32.

7 Spir. *sed* pro *et*.

8 Sic cum Dronkio e codd. Vat. scripsi. Vulgo *adiungitis*, ut etiam Ald.

9 Edd. vett. *eruditiones*, quod Rhenanus mutavit in *eruditionem*, unde in Ald. aliasque editiones migravit. *Eruditionis*, a plurimis probatum, debetur acumini Agricolae. Acidal. *ingenium alunt eruditione et litterarum*.

10 Ald. *iis*.

fecisti plurium[1] eiusmodi librorum, quam in Apro, quod nondum a scholasticis controversiis recessit, et otium suum mavult novorum rhetorum more quam veterum oratorum consumere.

Cap. XV.

Tum Aper: Non desinis, Messala, vetera tantum et antiqua mirari, nostrorum autem temporum studia irridere atque contemnere. Nam hunc tuum sermonem saepe excepi, quum, oblitus et tuae et fratris tui[2] eloquentiae, neminem[3] hoc tempore oratorem esse[4] contenderes: atque id eo, credo, audacius, quod malignitatis opinionem[5] non verebaris, quum eam gloriam, quam tibi alii concedunt, ipse[6] tibi denegares.

Neque illius, inquit, sermonis mei poenitentiam ago, neque aut Secundum aut Maternum aut te ipsum, Aper, quamquam interdum in contrarium disputes, aliter sentire credo. At[7] velim impetratum ab aliquo vestrum, ut causas huius infinitae differentiae scrutetur ac reddat, quas mecum ipse plerumque conquiro. Et, quod quibusdam solatio est, mihi auget quaestionem, quia video etiam Graiis accidisse, ut longius absit Aeschine et Demosthene sacerdos iste Nicetes[8] et si quis alius Ephe-

1 Edd. vett. *plurimum.* Rhenanus, quem praeter Schurzfleischium *plurimam* legentem omnes secuti sunt, correxit *plurium.*

2 Intelligitur ex Lipsii sententia *Aquilius Regulus,* cuius praeter scriptores ab editoribus allatos etiam Martialis passim meminit: in primis huc pertinet II, 74, 2.

3 Pro *neminem* Edd. vett. *nostrum.* Rhenan. et Ald. *nostro.* Vulgata debetur Lipsio vel Pithoeo.

4 *Esse* abest ab Ald.; praeivit Rhenanus.

5 Dedi vulgatam, etiam a Dronkio repetitam, quamquam alia verba ab auctore olim scripta fuisse suspicari licet. Spir. *contendere. antiquis eo credo audacius quod malignus his opinionem.* Aliae Edd. vett. *contendere antiquis eo credis audacius quo malignius. his opinionem.* Rhenanus et hinc Ald. *contendere antiquis, esse credis audacius, quo malignitatis opinionem.* Quod vulgo nunc editur, est scriptura Lipsii, omnibus fere probata. Cf. Wopkens. l. c. p. 392. De codicum lectione haud accurate liquet. Annotatur e Vaticanis *antiquis eo credo* et praeterea ex uno Vatic. *maligne in iis.*

6 Edd. vett. cum Ald. *ipsi.* Correxit Lipsius.

7 Bene ex Spir. Dronkius *at* pro vulg. *ac.*

8 Praeclare, ut nunc legitur, restituit Lipsius, viam monstrante Rhenano. Edd. vett. cum Ald. *absit Eschines et Demosthenes sacerdos iste enitet.*

sum vel Mitylenas[1] contentus[2] scholasticorum[3] clamoribus quatit, quam Afer aut Africanus aut vos ipsi a Cicerone aut Asinio recessistis.

Cap. XVI.

Magnam, inquit Secundus, et dignam tractatu quaestionem movistis[4]. Sed quis eam iustius explicabit[5] quam tu, ad cuius summam eruditionem et praestantissimum ingenium cura quoque et meditatio accessit?

Et Messala, Aperiam, inquit, cogitationes meas, si illud[6] a vobis ante impetravero, ut vos quoque sermonem hunc nostrum adiuvetis.

Pro duobus, inquit Maternus, promitto. Nam et ego et Secundus exsequemur[7] partes, quas intellexerimus te non tam omisisse, quam nobis reliquisse. Aprum enim solere dissentire, et tu paullo ante dixisti, et ipse satis manifestus est[8] iamdudum in contrarium accingi, nec aequo animo perferre hanc nostram pro antiquorum laude concordiam.

Non enim, inquit Aper, inauditum et indefensum seculum nostrum patiar hac vestra conspiratione damnari. Sed hoc primum interrogabo, quos vocetis antiquos, quam oratorum aetatem significatione[9] ista determinetis? Ego enim quum audio antiquos, quosdam veteres et olim natos intelligo; ac mihi versantur ante oculos Ulixes[10]

1 Dronk. *Mytilenas.* Retinui vulgatam scripturam, de Graecorum usu (v. Plehn. Lesb. p. 11 seq. et Creuzerum in Annal. litt. Heidelb. 1823. No. 25. p. 388) parum curiosus in scriptore Latino. In nominis enim scriptura tum libri variant, tum lapide Gruteri p. 274, 8 MITYLENIS exhibente satis demonstratur, ab hac scribendi forma Romanos haud abhorruisse.

2 Ita Edd. vett. cum Ald. et omnes paene editores; explicuit Dronkius. Pithoeus *contentis,* quod F. A. Wolfio aliisque probatum fuit.

3 Quod in Spir. interponitur *et,* sustulit Puteolanus.

4 Revocavit Dronkius lectionem Edd. vett. et Ald. *Movisti,* quod hodie vulgatur, Lipsius tacite supposuerat.

5 Cum Dronkio e codd. Vatic. correxi: vulgo *explicaverit,* et sic Ald.

6 Ex uno Vatic. Dronkius *istud.*

7 Hoc dedit Puteolanus pro *exsequamur,* ut in Spir. est.

8 *Est* in aliquod Edd. recentioribus excidit, casu, ut videtur.

9 Tuetur hanc Lipsii coniecturam a plerisque iam ante Dronkium, qui cum Seebodio recepit, probatam codd. Vatic. auctoritas. Spir. Ald. et Edd. vett. *signatione,* quod plurimi amplexi sunt.

10 Vulgo *Ulysses.* Reduxit *Ulixes* e Spir. et Puteolan. Dronkius. Ald. *Ulysses.*

et Nestor, quorum aetas mile[1] fere et trecentis[2] annis seculum nostrum antecedit: vos autem Demosthenem et Hyperidem profertis[3], quos satis constat Philippi et Alexandri temporibus floruisse, ita tamen, ut utrique superstites essent. Ex quo apparet, non multo plures quam CCCC[4] annos interesse inter nostram et Demosthenis aetatem quod spatium temporis, si ad infirmitatem corporum nostrorum referas, fortasse longum videatur: si ad naturam seculorum et respectum huius immensi[5] aevi, perquam breve et in proximo est. Nam si, ut[6] Cicero in Hortensio scribit, is est magnus et verus annus, quo eadem positio coeli siderumque, quae cum maxime[7] est, rursum exsistet, isque annus horum, quos nos[8] vocamus, annorum XII MDCCCCLIV[9] complectitur[10], incipit Demosthenes vester, quem vos veterem et antiquum fingitis, non solum eodem anno[11], quo nos, sed fere eodem mense exstitisse.

Cap. XVII.

Sed transeo ad Latinos oratores, in quibus non Menenium, ut puto, Agrippam, qui potest videri antiquus, nostrorum temporum disertis anteponere soletis, sed Ciceronem et Caesarem et Coelium et Calvum et Brutum et Asinium et Messalam; quos quidem cur[12] antiquis

1 Cum Dronkio e codd. Vatic. scripsi. Vulgo *mille*. V. dicta in Ephem. litt. Hal. 1827. Suppl. No. 49. p. 387.

2 Edd. vett. cum Ald. *CC. Trecentis* ex codd. Vatic. repositum est.

3 Debetur Lipsio. Spir. *perficitis*, quod Puteolanus mutavit in *percipitis*, quod in Ald. et aliis multis edd. receptum fuit.

4 Edd. vett. cum Ald. *CCC.* Plures correxerunt *CCCC.*

5 Sic ex Edd. vett. rescripsit Dronkius: neque aliter Ald. Vulgo *immensi huius.*

6 E codd. Vatic. repositum. Olim vulgabatur *nam sicut*. Ald. *nam si sicut*, quod Puteolano debetur.

7 Nic. Loensis malebat *nunc maxime*, multis probatum. Nihil mutandum? v. Wopkens. l. c. p. 393 et Dronkium.

8 Hoc e codd. Vatic. Ernestius revocavit. Edd. vett. omittunt *quos*. Hinc Rhenanus *quos vocamus*, deleto *nos*, quam lectionem non poterant non omnes probare ante Ernestium. Ald. haud aliter.

9 Olim vel *XII. DCCCLIIII*, vel *XIIMDCCCLIV* edebatur. Ald. *XIIDCCCCIV*. Emendavit Nic. Loensis.

10 Debetur Rhenano. Edd. vett. *complectuntur.*

11 Spir. *annos*. Emendavit Puteolanus, qui praeterea *eodem* delevit, et sic Ald. Sed *eodem* e codd. Vatic. Ernestius restituit.

12 *Cur* addidit Puteolanus.

temporibus potius adscribatis quam nostris, non video. Nam ut de Cicerone ipso[1] loquar, Hirtio nempe et Pansa coss., ut Tiro libertus eius scripsit, VII Idus Decemb.[2] occisus est, quo anno D. Augustus in locum Pansae et Hirtii se et Q. Pedium coss. suffecit[3]. Statue VIII[4] et L annos, quibus mox D. Augustus rempublicam rexit: adiice Tiberii tres et viginti, et prope quadriennium Caii[5], ac bis quaternos denos Claudii et Neronis annos, atque unum[6] Galbae; et Othonis et Vitellii unum[7] annum, ac sextam iam felicis huius principatus stationem, qua Vespasianus rempublicam fovet, C et XX[8] anni ab interitu Ciceronis in hunc diem colliguntur, unius hominis aetas. Nam ipse ego in Britannia vidi senem, qui se fateretur ei[9] pugnae interfuisse, qua Caesarem, inferentem arma Britanniae[10], arcere littoribus et pellere aggressi sunt. Ita si eum, qui armatus C. Caesari restitit, vel captivitas vel voluntas vel fatum aliquod in Urbem pertraxisset, idem[11] Caesarem ipsum et Ciceronem audire potuit et nostris quoque actoribus[12] interesse.

1 Idem rescripsit. Spir. *ipse.*

2 *Decemb.* omittunt Codd. omnes et Edd. vett. cum Ald. Adiecit Lipsius.

3 Verba *quo anno-suffecit* ut glossema Schulzius deleta vult.

4 Lipsio praeeunte vulgabatur *VI.* Cum Dronkio secundum Edd. vett. et Ald. scripsi *VIII.*

5 Scriptum vult Dronkius ex Edd. vett. *Cai.*

6 *Unum,* quod Edd. vett. cum Ald. tenent, cuius loco *ipsum,* a Lipsio profectum, plerumque vulgabatur, primus Seebodius bene revocavit, quem Dronkius quoque secutus est.

7 Dedi lectionem a Puteolano inde plurimis probatam. Spir. *longum et unum,* quod Schurzfleischius sic defendit, ut annum ita longum dictum putet, quod inter Neronis mortem et Vespasiani principatum annus cum XXII diebus interiaceat. Et ego non prorsus *longum* vituperaverim, modo scriptum sit *unum et longum.* Praeterea Pithoeus quoque Spirensis lectionem retinuit. Et poterat *et longum* addere scriptor noster eodem iure quo supra *et prope quadriennium Caii* dixit.

8 Spir. *X;* duo Vatic. *centum et decem anni.* Unus Vat. ut nunc ex Puteolani scriptura vulgatur.

9 Ald. cum Edd. vett. *et.* Correxerunt plures.

10 Ex Edd. vett. Seebodius optime reduxit. Oberlin. ex Bipontini coniectura *Britannis.*

11 Debetur Rhenano. Edd. vett. *et quidem.* Melius legi putat Dronkius *et idem.*

12 Ex Lipsii coniectura vulgabatur *actionibus.* Edd. vett. cum Ald. *auctoribus,* cuius loco *actoribus* scribendum Dronkius in Annotatione proposuit: quod mihi ita se commendavit, ut in textum adeo suscipere ego non veritus sim. Utraque vocabula saepe confundi notum est.

Proximo quidem congiario ipsi vidistis plerosque[1] senes, qui se a D. quoque Augusto semel atque iterum accepisse congiarium narrabant; ex quo colligi potest, et Corvinum ab illis et Asinium audiri potuisse. Nam Corvinus in medium usque Augusti principatum, Asinius paene ad extremum duravit. Nec[2] dividatis seculum, et antiquos ac veteres vocetis oratores, quos eorumdem hominum aures agnoscere ac velut coniungere et copulare potuerunt.

Cap. XVIII.

Haec ideo praedixi, ut si qua ex[3] horum oratorum fama gloriaque laus temporibus acquiritur, eamdem docerem in medio sitam et propiorem nobis, quam Ser. Galbae, C. Carboni, quosque alios merito antiquos vocaverimus[4]. Sunt enim horridi et impoliti et rudes et informes, et quos utinam nulla parte imitatus esset[5] Calvus vester aut Coelius aut ipse Cicero! Agere enim fortius iam et audentius volo, si illud ante praedixero, mutari[6] cum temporibus formas quoque[7] et genera dicendi. Sic[8] Catoni seni comparatus C. Gracchus plenior et uberior; sic Graccho politior et ornatior Crassus; sic utroque distinctior et urbanior et altior Cicero; Cicerone mitior Corvinus et dulcior et in verbis magis elaboratus. Nec quaero, quis disertissimus: hoc interim probasse contentus sum, non esse unum eloquentiae vultum, sed in[9] illis quoque, quos vocatis antiquos, plures species deprehendi; nec statim deterius esse,

1 Maluit Gesnerus *plures*, quod probavit adeo Heumann.

2 Ex Acidalii sententia Heumann. et Imm. Bekker. *ne*.

3 Edd. vett. cum Ald. *et*, quod tacite in nostram lectionem mutavit Lipsius, qui etiam mox *ac*, quod post *gloriaque* in iisdem interserebatur, sustulit.

4 Ita cum Dronkio e codd. Vatic. scripsi. Edd. vett. cum Ald. *antiquos merito vocaremus*, quod plurimi probarunt. Ex recentioribus saltem quidam *vocaverimus*.

5 E codd. Vat. dedi cum Oberlin. et Dronkio. Vulgo (et sic Ald.) *et quos utinam imitatus non esset:* in qua lectio *non* debetur Rhenano: nam Edd. vett. sine negatione.

6 Edd. vett. *mutare*, quod correxit Rhenanus.

7 *Quoque* abest ab Edd. vett. et Ald. E codd. Vatic. restituit Brotierius, quem omnes paene secuti sunt.

8 Primus dedit Ernestius e codd. Vat. et deinceps editores omnes. Edd. vett. *sicuti* vel *sicut;* hoc Ald.

9 Praepositionem in Spir. desideratam addidit Puteolanus.

quod diversum est, vitio autem malignitatis humanae vetera semper in laude, praesentia in fastidio esse. Num[1] dubitamus inventos, qui prae[2] Catone Appium Caecum magis mirarentur? Satis constat, nec[3] Ciceroni quidem obtrectatores defuisse, quibus inflatus et tumens, nec satis pressus, sed[4] supra modum exsultans et superfluens et parum antiquus[5] videretur. Legistis[6] utique et Calvi et Bruti ad Ciceronem missas epistolas, ex quibus facile est deprehendere, Calvum quidem Ciceroni visum exsanguem et attritum[7], Brutum autem otiosum[8] atque disiunctum: rursumque Ciceronem a Calvo quidem male audivisse, tamquam solutum et enervem, a Bruto autem, ut ipsius verbis utar, tamquam *fractum atque elumbem*. Si me interroges, omnes mihi videntur[9] verum dixisse. Sed mox ad singulos veniam, nec[10] mihi cum universis negotium est.

1 Debetur Lipsio, quem sequi par erat. Spir. *nam*. Edd. rel. vett. cum Ald. *nam non*, ex correctione. Mox quidam ex ingenio *dubitabimus*, sine causa, iam monente Wopkensio l. c. p. 394.

2 Edd. vett. cum Ald. et recentiorum plurimae *pro*, quod Dronkius allatis ex cap. 23 verbis *Lucilium pro Horatio et Lucretium pro Virgilio legunt* defendere frustra studet. Desideratur enim exemplum, quo *pro* in comparatione iuxta comparativum positum sit. Quare praepositiones *pro* et *prae* vel millies in MSS. confundi reputans, non dubitavi Groslotii coniecturam, quae etiam Oudendorpii ad Apuleii Metam. IV. p. 269 fuit, suscipere. Cic. II Verr. 13 *res haec est ita populo grata, ut ipse consul in hac caussa prae me minus etiam quam privatus esse videatur.* Cf. Oudend. l. c. Editor Bipont. coniciebat *qui Porcio Catone.* Et receperunt *prae* iam alii, ut Oberlinus, Schulzius.

3 Revocavit Dronk. ex Edd. vett.; idem Ald. De *nec-quidem* v. Heinrich. ad Cic. pro Tullio p. 80 et 109. Ex Gronovii coniectura *ne* vulgabatur.

4 *Sed* abest ab Edd. vett. et Ald. Restituit Ernestius e codd. Vatic.

5 Bene revocavit e codd. Vat. et Spir. Seebodius ed. 2, quem secutus Dronkius est. Ita Ald. quoque. Aliae Edd. vett. *et parvum antiquus.* Ex Ursini coniectura Lipsius aliique *et parum Atticus.* Unus Oberl. *parum et Atticus.*

6 Dedit Ernestius e codd. Vat. Edd. vett. cum Ald. *legisti.*

7 Debetur Lipsio vel Pithoeo. Edd. vett. cum Ald. *ac tritum* sine copula *et.*

8 Lipsius malebat *odiosum.* Mox pro *disiunctum* Rutgersius *discinctum.*

9 Edd. vett. cum Ald. *videri.* Receptum debemus Lipsio.

10 Edd. vett. omnes *nec* pro *nunc*, quod ab Ursino inde editores omn[illegible] ad novissimum usque praepropere amplexi sunt. Vereor enim ne *cum universis negotium aliqui esse* recte dici possit pro *de oratoribus universe* (in genere) *disputare*, id quod

Cap. XIX.

Nam quatenus antiquorum admiratores hunc velut terminum antiquitatis constituere solent, quem usque ad Cassium Severum faciunt[1], quem primum affirmant flexisse ab illa vetere atque directa dicendi via[2]: non infirmitate ingenii, nec inscitia litterarum transtulisse se ad illud[3] dicendi genus contendo, sed iudicio et intellectu[4]. Vidit namque, ut paullo ante dicebam, e conditione temporum

Nostrum exprimere voluisse existimant, qui *nunc* corrigunt. Sed non perspexere sententiarum nexum. Etenim anteaquam de singulis oratoribus antiquis dicturus sit, Aper, mutari cum temporibus formas quoque et genera dicendi, demonstrandum sibi sumpsit (v. cap. 18); quae demonstratio concluditur fine cap. 20, unde iam ad singulos venit, quorum tamen non universos, sed potiores percenset. Et hoc plane praedixit nostris verbis *nec* (pro *nec tamen*) *mihi cum universis negotium est.*

1 Retinui in loco vexatissimo cum aliis vulgatam a Puteolano profectam, quam Dronkius quoque expressit, quamquam dubitari non potest, ea manum pristinam minime reddi. Codd. Vat. et Spir. *ad Cassium Severum quem reum faciunt quem primam affirmant,* unde Brotierius scribendum existimat locum: *constituere solent usque ad Cassium Severum, quem reum faciunt, quemque primum affirmant.* Quae lectio, Dronkio quidem probata, Ernestio fuit offensioni, quod *terminum constituere ad aliquem* Latinum non sit. In hoc si non offendor, tamen ferend[illegible] non videtur haec lectio, quod a scripturae vestigiis nimis recedat. Haud magis probanda Schneideri Obs. in Tac. p. 6 coniectura: *nam quatenus antiquitatis admiratores nunc velut terminum antiquitatis constituere solent, ac Cassium Severum reum faciunt, quem primum aff.* etc. In *velut* non impingendum erat. Eodem sensu adiectum est quo *quasi* in Cic. de amic. 16 *constituendi sunt, qui sint in amicitiae fines, et quasi termini diligendi.* Ego sic de huius loci scriptura sentio. Primum nego Latinum esse *terminum facere ad aliquem;* deinde in lectione *quem reum* aliud quidquam contineri ac vitiosam scripturam nominis *Severum*, cui coniecturae fides comparatur ex vetere libro, quem Lipsius affert: ibi enim illius nominis loco *quem reum* legitur. Iam vide an ita scriptoris manus restitui possit: *constituere solent, quem usque ad Cassium Severum statuunt, quem primum aff.* Plin. Ep. VI, 29 *hos terminos dignitati ac verecundiae tuae statuo.* Postremo in repetitione similium verborum, *constituere* et *statuere*, nemo, spero, haerebit.

2 Sic e codd. Vat. nunc vulgatur. Edd. vett. cum Ald. *dicendi via directa*, quod defendit Wopkens. l. c. p. 394.

3 Ante Dronkium, qui e codd. Vat. *illud* scripsit, omnes libri *id*.

4 Debetur Puteolano. Spir. *sed video et intellectum* Pro *intellectu* Gronovius malebat *delectu.*

et diversitate[1] auditorum[2] formam quoque ac speciem orationis esse mutandam[3]. Facile perferebat prior iste populus, ut imperitus et rudis, imperitissimarum[4] orationum spatia, atque id ipsum laudabat[5], si dicendo quis diem eximeret. Iam[6] vero longa principiorum praeparatio et narrationis alte[7] repetita series et multarum divisionum ostentatio et mile argumentorum genera[8], et quidquid aliud aridissimis Hermagorae et Apollodori

1 Edd. vett. cum Ald. *dicebam conditionem temporum et diversitates*, unde Lipsius *dicebam, cum conditione temp. ac diversitate*, quod ad Dronkium usque omnes amplexi sunt. Sed addita praepositione *cum*, nisi totus fallor, locus etiam magis corrumpitur. Si enim cum conditione temporum forma quoque orationis mutanda est, non solum forma orationis sed etiam conditio temporum mutanda est, quod dicere ineptum foret. Alio autem modo illa explicari non possunt, quibuscum geminus Iustini locus recte comparatur XXXI, 5, 9 *Reverso Carthaginem, statim cum loco fortunam belli mutatam.* Quo sensu illa superiori loco, ad quem Noster spectat, cap. 18 *mutari cum temporibus formas quoque et genera dicendi* dicta sunt, quod moneo ne quis iis ad defendendam praepositionem nostro loco abutatur. Igitur *cum* illud quum ex ingenio insertum sit, haud audacius facinus videbitur, quod *e*, a sequenti litt. *c* facile absorptum, verborum ordini immiserim, quo admisso nihil, sive sensum sive dicendi usum spectes, desideratur omnino. V. Quintil. I, 5, 59. Idem VIII, 5, 33 *quo modo potest probare Ciceronem, qui nihil putet ex Catone Gracchisque mutandum;* nisi ibi legendum *mutuandum.* — Pro *ac*, quod ex Mureti scriptura ad Dronkium usque vulgatum, recepi ex Spir. *et*.

2 Spir. cum al. Edd. vett. et Ald. *auctorum*, cuius loco Lipsius *aurium*, quod plurimi, etiam Dronkius, probarunt. Nos cum Seebodio Ursini et Mureti coniecturam dedimus, ut ad scripturam Spirensis propius accedentem. Non displicet quidem *aurium;* sed haud minus repositum commendatur Cap. seq. *Vulgus quoque assistentium et affluens et vagus auditor assuevit iam exigere laetitiam et pulchritudinem orationis.*

3 Spir. cum Ald. *remutandam*, omisso verbo *esse*. Nostra scriptura debetur Lipsio.

4 Ita Edd. vett. cum Ald., quod qui improbarunt, ex Mureti correctione mutarunt in *impeditissimarum*. Recte illud servavit Dronkius; pridem defenderat Wopkens. l. c. p. 395.

5 Tacite Lipsius scripserat *laudi dabatur*, quod omnes fere susceperunt. Cum Seebodio ed. alt. et Dronkio revocavimus duorum Vatic. Spir. et Edd. vett. lectionem.

6 Dedi cum Dronkio codd. Vat. lectionem, quam coniectando assecutus erat Acidalius. Edd. vett. cum Ald. et hinc recentiorum plurimae *ita*. Ex Schultingii coniectura Schulz. et Oberlin. *ista*.

7 Spir. *alta*. Correxit Puteolanus.

8 Ex Lipsii emendatione nonnulli *gradus*. Illud Edd. vett. cum Ald.

libris praecipitur, in honore erat: quod[1] si quis, odoratus philosophiam[2], atque ex ea locum aliquem orationi suae insereret, in coelum laudibus ferebatur. Nec mirum. Erant[3] enim haec nova et incognita, et ipsorum quoque oratorum paucissimi praecepta rhetorum aut philosophorum placita cognoverant[4]. At hercule pervulgatis iam omnibus, quum vix in cortina[5] quisquam assistat, qui[6] elementis studiorum etsi non instructus, at certe imbutus sit, novis et exquisitis eloquentiae itineribus opus est, per quae orator fastidium aurium effugiat, utique apud eos iudices, qui vi et[7] potestate, non iure et legibus cognoscunt, et[8] nec accipiunt tempora, sed constituunt[9], nec exspectandum habent oratorem, dum illi libeat de ipso negotio dicere, sed saepe ultro admonent atque alio transgredientem revocant et festinare se testantur.

Cap. XX.

Quis nunc ferat[10] oratorem de infirmitate[11] valetudinis suae praefantem? qualia sunt fere principia Corvini. Quis quinque in Verrem libros exspectabit[12]? Quis de[13] exceptione et formula perpetietur illa immensa volumina, quae pro M. Tullio aut A. Caecina legimus? Praecurrit hoc tempore iudex dicentem, et, nisi aut

1 Cum Seebodio ed. 1 et Dronkio e codd. Vat. scripsimus. Vulgo *et*, ut Ald. quoque.

2 Post *philosophiam* Seebodius et Dronkius tacite adiiciunt *antiquam*, quod unde habeant ipsi videant. Fortasse ita mutandum existimarunt *atque*, quod Edd. vett. ante *ex* inserunt, quodque, Ernestio suadente, Oberlinus ferendum primus negaverat. Sed optime habet *atque*.

3 Spir. et Ald. *nec mirum erat*. Emendavit Puteolan.

4 Vulgatam dedi, quamquam mihi cum Dronkio persuasum est, integrum non esse hunc locum. Edd. vett. cum Ald. *oratorum paucissima praecepta et rhetorum aut phil.* etc.

5 Revocavit Seebodius ex Edd. vett. Ex Ursini et Mureti coniectura plurimi *corona*.

6 Nonnulli recentiorum *quin*.

7 Ita e codd. Vat. et Edd. vett. et Ald. Dronkius. Vulgo e Lipsii coni. *aut*.

8 Heumann. et Schulz. copulam delent.

9 Spir. *consistunt*. Correxit Puteolan.

10 Sic codd. Vat. et plerique editores cum Ald. In Spir. *feret*.

11 Spir. *infinitate*.

12 E codd. Vat. scripsit Brotierius, quem plurimi secuti sunt. Spir. *exspectavit*, unde Puteol. *exspectaverit*, quod hinc in Ald. aliasque Edd. transiit; neque aliter Schulz.

13 Praepositio abest a Spir.

cursu argumentorum, aut colore sententiarum, aut nitore et cultu descriptionum invitatus et corruptus est, aversatur dicentem[1]. Vulgus quoque assistentium, et affluens et vagus auditor assuevit iam exigere laetitiam et pulchritudinem orationis; nec magis perfert[2] in iudiciis tristem et impexam antiquitatem, quam si quis in scena aut Roscii aut Turpionis Ambivii[3] exprimere gestus velit. Iam vero iuvenes et ipsa studiorum incude positi[4], qui profectus sui causa oratores sectantur, non solum audire, sed etiam referre domum aliquid illustre et dignum memoria volunt; traduntque invicem, ac saepe in colonias ac provincias suas scribunt, sive in suis[5] aliquis arguta et brevi sententia effulsit, sive locus exquisito et poetico cultu enituit. Exigitur[6] enim iam ab oratore etiam poeticus decor, non Attii[7] aut Pacuvii veterno inquinatus, sed ex Horatii[8] et Virgilii et Lucani sacrario prolatus. Horum igitur auribus et iudiciis obtemperans nostrorum oratorum aetas, pulchrior et orna-

1 *Dicentem* suasore Schelio Schulzius delevit, Seebodius ed. 1 cancellis inclusit; defendit Wopkens. l. c.

2 Spir. *prefert*, unde Edd. quaedam vett *praefert*. Correxit Rhenanus.

3 Edd. vett. cum Ald. male *aut Roscii aut Turpionis aut Ambivii*.

4 Ita Edd. vett. cum Ald. Praepositionem *in* ante *ipsa* interposuit Lipsius et hinc plurimi vulgarunt. Ea carere possumus. Annal. II, 31 *appositum mensa lumen*. Copulam vero *et*, bene defensam a Wopkensio, inconsulto eiecerunt Oberl. Seebod. et Dronkius. Inservit copula hoc loco explicationi v. *iuvenes*, et ponitur fere pro *et quidem*, ut passim. Caeterum quod apud Dronkium Iacobus narrat, tropum illum *in studiorum incude ponere* fortasse ex graeco fluxisse, allatis Antipatri (Anthol. Pal. VII, 409) verbis *ἐν Πιερίδων ἄκμοσι χαλκευτόν*: id mutuatus esse videtur ex Iacobsii Epistola ad Doeringium p. 30. Praeterea iis quos Dronkius hac locutione usos esse annotavit, addas Diomedem Gramm. init.: *Artem merae Latinitatis, puraeque eloquentiae magistram sub incude litterarum faciliter procudendo formatam*.

5 Interim retinui Edd. vett. lectionem, quam Bipontinus interpretatur: „inter suos, quos sectantur." Sed exspectassem *suorum* pro *in suis*, ut Noster in Ann. I, 6 dixit *nullus suorum*. Plurimi et hos inter Dronkius receperunt Mureti correctionem *sive sensus aliquis*, quod egregie quidem inventum, sed a scriptura editionum nimium distat. Seebod. *sive iis sensus aliquis*.

6 Debetur Lipsio. Antea *exercetur* omnes.

7 Alii *Accii*; alii *Actii*, et sic Spir. De scriptura nominis v. Anal. crit. p. 60. *Accius* exhibet lapis in Romanelli *Storia topogr. del regno di Napoli*, T. I. p. 423.

8 Una Ald. *Oratorii*.

tior exstitit. Neque ideo minus efficaces sunt orationes nostrae, quia ad aures iudicantium cum voluptate perveniunt[1]. Quid enim? nisi[2] infirmiora horum temporum templa credas, quia non rudi caemento et informibus tegulis[3] exstruuntur, sed marmore nitent et auro radiantur[4]?

Cap. XIX.

Equidem fateor[5] vobis simpliciter, me in quibus-

1 Spir. *praeveniunt.*

2 Ante Seebodium, quem Dronkius secutus est, distinguebatur *Quid enim, si.* De interrogationis signo nunc interposito nemo dubitabit. At non iniuria hoc loco haeserunt recentioris aetatis editores. Heumannus scripsit *quis enim infirmiora — credat* etc. Oberlin. coni. *quid enim, an.* Quod Dronkius proposuit, ut *si* deleretur, id iam occupaverat Wopkens. l. c. p. 397. Fortasse recte: si quidem Taciti scripturam ad usum Ciceronis exigas, apud quem post *quid enim?* altera interrogatio sequi solet. V. Tusc. III, 21. de am. 9, 30. Ep. ad fam. V, 15. Plura dabit Heindorf. ad de N. D. II, 2, 5. Verba II Philipp. 31 *O hominem nequam! quid enim aliud dicam? magis proprie nihil possum dicere* malim distinguere *O hominem nequam! quid enim? aliud dicam? magis* etc. Nam in ordine verborum vulgato exspectassem *quid aliud enim dicam.* Ep. ad Atticum I, 17 *quid aliud ad te scribam?* Terent. Eunuch. III, 2, 51 *quid aliud volui dicere?* Cf. Heindorf. ad Cic. de N. D. II, 63, 158. Attamen nolim *si* deleri: grave namque et audacter factum mihi quidem semper visum est, aliquam particulam orationis librorum fide comprobatam oblitterare, nisi simul demonstratur causa, cur aliquid vitiose a librariis adiectum sit. Vulgatum vero mendo non caret. Varius quidem formulae *quid enim* sensus et usus est: vide modo Horat. Serm. I, 1, 7. Sed ubi in conclusione vel in clausula sententiae ponitur, pariter atque *quid multa?* vel *quid plura,* cum quadam sensus ellipsi dicitur, ubi plenius dixeris *quid enim plura dicam.* Hunc vero sensum nostro loco si admittimus, verba *si infirmiora* etc. absurde adduntur. Non affirmativa enim enunciatio, sed negativa sequi debet. Quod in ordinem suscepi, ipsa corruptelae facilitate commendatur, quum *m,* quod ante *si* praecedit, elementum *ni,* in codicibus ms. saepe vix a *m* dignoscendum, facile absorbere potuerit. Noli vero putare, alio modo expediri posse locum, ita ut *quid enim* mirantis esse statuas, quod alter re vera templa horum temporum infirmiora credat. Hic enim sensus si locum haberet, ut *quid enim* fere poneretur pro *quid enim dicam,* me iudice non formulam *quid enim* admitteret, sed potius *quid vero* vel *quid autem* exigeret.

3 Spir. *in fornicibus tegulisque,* quod correxit Puteolanus. In Seebodii editione utraque *regulis,* vitio typothetarum fortasse.

4 Lat. Latinius Bibl. T. II. p. 37 et Schurzfleisch. *radiant.*

5 Edd. vett. lectionem *fateor* reduxit Bipontinus, quem Seebode et Dronk. recte secuti sunt.

dam antiquorum vix risum, in quibusdam autem vix somnum tenere. Nec unum de populo Canuti aut Atti de Furnio et Coranio alios in eodem valetudinario haec ossa et hanc maciem probant [1]; ipse mihi Calvus, quum unum et viginti, ut puto, libros reliquerit, vix in una et [2] altera oratiuncula satisfacit: nec dissentire ceteros ab hoc meo iudicio video. Quotus enim quisque [3] Calvi in Asinium [4] aut in Drusum legit? At hercule in hominum [5] studiosorum manibus versantur accusationes, quae in Vatinium [6] inscribuntur [7], ac praecipue secunda ex his oratio. Est enim verbis ornata et sententiis, auribusque [8]

Oberl. et Schulz. *fatebor*, quod Lipsio deberi Dronkius ait. Sed idem iam Ald.

1 Loco huic desperato sine libris melioribus salutem parari posse neganti Dronkio plane adstipulor. Quare satius visum codd. Vatic. lectionem quamvis vitiosam et obscuram exhibuisse, in qua emendanda vires experiantur me sagaciores. Et intactum reliquit hunc locum fere Dronkius, nisi quod ita edidit: *nec unum de populo.* * *Canuti aut Atti, vel Furnii aut Toranii quique alii in eodem valetudinario haec ossa et hanc maciem probant.* Liber Lipsii exhibet: *nec unum de populo Ganuti aut Atti de Furnio et Coranio alios in eodem valetudinario* etc. Edd. Spir. Ald. et rel. vett.: *nec unum de populo. Ganuti aut Aride Furnio et Toranio* [Puteol. *Troiano*] *quique alios in eodem valet.* etc. Neque saniora de hoc loco sunt recentiorum commenta, quae praetermitto: collecta invenies a Schulzio Exc. III et Dronkio, quibus unum Schneideri Obs. l. c. p. 7 addam ita suspicantis: *Nec sunt de populo Canutii aut Arrii: sed Furnio et Toranio, quique alii in eodem valetudinario, haec ossa et hanc maciem probant.* Quae ita V. D. explicat: „Nec sunt plebeii homines, quorum libros lego, Canutii aut Arrii: at talibus hominibus, quales sunt Furnius et Toranius, vehementer placent." Hoc mihi certum est, verborum singulorum correctionibus non sanari posse hunc locum, in quo, nisi fallor, unum alterumve comma plane interiit.

2 Reduxit Dronk. ex Spir. Vulgo *aut:* ita Ald. quoque.

3 Huc transponi iubet Brotierius *accusationes*, quod mox sequitur. De C. Licinio Calvo vide ad Apuleium de Orthogr. p. 17. seqq. Adde Sueton. Caes. 73. Aug. 72.

4 Lipsius vult *Asinium*, quod interim suscepi, quia *Asitius* nomen Latinum non est; in quem vero Asinium Calvus scripserit, nescio. Muret. *Ascitium;* Schurzfl. et Heum. *Fuscinium.* Edd. vett. cum Ald. *Asitium.*

5 Edd. vett. lectionem *hominum* revocavit Dronkius: ex Acidalii coniectura eius loco legebatur vulgo *omnium.*

6 De Calvi in Vatinium orationibus v. intpp. et Ruhnk. ad Rutil. Lup. p. 183.

7 Codd. Vat. Spir. cum Ald. et Edd. vett. *conscribuntur.* Vulgata debetur Lipsio.

8 Edd. vett. cum Ald. *auribus* sine copula, qua carere non possumus. Dronkius *et* praeposuit, Seebodius *ac.* Nostram lectio-

iudicum[1] accommodata: ut scias, ipsum quoque Calvum intellexisse, quid melius esset, nec voluntatem ei[2] quin[3] sublimius et cultius diceret, sed ingenium ac vires defuisse. Quid ex Coelianis orationibus[4]? nempe hae placent, sive universae sive partes earum, in quibus[5] nitorem et altitudinem horum temporum agnoscimus. Sordes autem illae verborum[6] et hians[7] compositio et inconditi sensus redolent antiquitatem: nec quemquam adeo antiquarium puto, ut Coelium ex ea parte laudet, qua antiquus est. Concedamus[8] sane C. Caesari, ut, propter magnitudinem cogitationum[9] et occupationes rerum, minus in[10] eloquentia effecerit, quam divinum eius ingenium postulabat: tam hercule, quam Brutum philosophiae suae relinquamus. Nam in orationibus minorem esse fama sua, etiam admiratores eius fatentur:

nem auctore Heumanno dedere Schulz. et Oberlinus.

1 Ald. *iudicium.*

2 Pronomen vulgo omissum, quod inseri Acidalius ex coniectura iubebat, e codd. Vat. Dronkius recte nunc restituit, quamquam si abesset, non adeo desideraretur: v. Wopkens. l. c. p. 398.

3 Codd. Vat. *quo.*

4 Secutus sum Dronkii interpunctionem. Vulgo *quid? ex Coelianis orationibus?* Pithoeus et hinc alii *quid? ex Coelianis orationibus, nempe* etc. Pro *nempe* Heumann. *nonne.*

5 Cum Schulzio, Seebodio et Dronkio Pithoei dedi coniecturam, non quod ea auctoris manum restitui credam, sed quod ea omnium maxime probabilis videatur. In Codd. enim locus depravatus legitur. Codd. Vat. *si universa parte serum in quibus:* et ita Lipsii quoque codex, nisi quod pro *si* exhibet *sive.* Edd. vett. cum Ald. *sive in universa parte factum* [Spir. et Puteol. *fectum*] *in quibus*, et hoc nonnulli, quos inter ipse Lipsius, probarunt. Modius coni. *si non universae, per partes attamen, in quibus.* Acidalius *si non universae at partes earum,* quod cum aliis Oberlinus suscepit. Alia virorum doctorum commenta conferre licet apud Schulzium et Dronkium: quibus haec duo addas. Wopkens. l. c. *si non universae, parte saltem, in quibus.* Ferd. Handius in Schneideri Obs. l. c. p. 8 *sive universae, an partes earum, in quibus.*

6 Ita ex uno Vat. Seebodius, quem cum Dronkio sequor. Spir. *Sordes autem et verborum.* Puteolanus in his *et* delevit et sic adhuc vulgatum; neque aliter Ald.

7 Spir. et quaedam Edd. vett. *hiatus,* quod mutavit Rhenanus in *hians,* quod ab Ald. inde nunc receptum ab omnibus.

8 Unus Schulzius *concedimus.*

9 Debetur Lipsio. Edd. vett. cum Ald. *cognitionis.* In uno Cod. Romano exstare fertur *cognitionum.*

10 Abest praepositio ab Edd. vett. et Ald. Restituit Acidalius. Posthac etiam codd. Vat. obtulerunt.

nisi forte [1] quisquam aut Caesaris pro Decio Samnite aut Bruti pro Deiotaro rege, caeterosque eiusdem lentitudinis ac teporis [2] libros legit [3], nisi qui et carmina eorumdem miratur. Fecerunt enim et carmina, et [4] in bibliothecas retulerunt, non melius, quam Cicero, at [5] felicius, quia illos fecisse pauciores sciunt. Asinius quoque, quamquam propioribus temporibus natus sit, videtur mihi inter Menenios et Appios studuisse. Pacuvium certe et Attium non solum tragoediis, sed etiam orationibus suis expressit: adeo durus et siccus [6]. Oratio autem, sicut corpus hominis, ea demum pulchra est, in qua non eminent venae, nec ossa numerantur, sed temperatus ac bonus sanguis implet membra et exsurgit toris [7] ipsos-

1 Ita Edd. vett. cum Ald., quam lectionem recentiores editores propter mox sequens *nisi qui* ferendam negant. Hinc e Gronovii coniectura Seebodius et Imm. Bekker. *nec fere*, quod probassem, nisi a scriptura antiqua nimis recederet. Dronkius cum Schulzio Schurzfleischii *nec forte* dedit, quod, si *forte* pro *fortasse*, ut par est, sumitur, vereor ut Latinum sit: v. Passov. ad Persium p. 357 seq. Toleravi igitur interim antiquam lectionem, in qua posterius *nisi* sane otiosum est: quod si expungere nolis, quae Handii quoque est sententia ad Gronovii Diatr. in Statium. T. I. p. 465, potest repetitio negationis ex negligentia quadam scriptorum negativas particulas sine idonea causa iterantium explicari. Lenissima vero fortasse apparatur medicina, si posterius *nisi* mutemus in *si*. Post *nisi* enim ex abundantia quadam addi, licet raro, solet *si*. Cic. pro Milon. 7, 17 *nisi forte magis erit parricida, si quis consularem patrem, quam si quis humilem necaverit.*

2 Spir. *cuiusdam: Lentidius at temporis.* Aliae Edd. vett. cum Ald. *cuiusdam lenti luminis ac temporis.* Quod nunc vulgatur, debetur Lipsii ingenio. Pro *ac teporis* Schelius *ac torporis.*

3 Unus, credo, Schulzius *legerit*, nempe ut satisfaceret regulis grammaticis. At quod statuit Goerenzius ad Cic. Fin. I, 17, 56 pro certo, post *si forte*, si iunctim scribantur, non nisi indicativum sequi, id eatenus verum est, quatenus de re vere facta agitur: in re enim ficta admitti coniunctivum, egregie demonstratum dedit Gernhard. ad Cic. de sen. 10, 33. Conf. eundem ad de amic. 13, 48. Hoc modo explicanda sunt Quintiliani XII, 2, 2 *nisi forte accedamus iis, qui natura constare mores et nihil adiuvari disciplina putant*, quae ex Fabii mente minime dicuntur. Eodem sensu Cicero Ep. ad Att. X, 8 *nisi forte me Sardanapali vicem in suo lectulo mori malle censueris.*

4 Copulam, in Edd. vett. universis desideratam, restituit Lipsius.

5 *At* debetur Puteolano. Spir. *et.*

6 Adiecit Lipsius *est*, quod omnes deinceps editores amplexi sunt praeter Dronkium, qui bene sustulit. Abest enim ab omnibus ante Lipsium editionibus.

7 De toris v. intpp. Adde Quin-

que[1] nervos rubor[2] tegit[3] et decor commendat. Nolo Corvinum insequi, quia non per ipsum stetit[4], quo minus laetitiam nitoremque nostrorum temporum exprimeret. * * *[5] viderimus, inquam, iudicio eius vis aut animi aut ingenii sufficeret.

Cap. XXII.

Ad Ciceronem venio, cui eadem pugna cum aequalibus suis fuit, quae mihi vobiscum est. Illi enim antiquos mirabantur, ipse suorum temporum eloquentiam anteponebat: nec ulla re magis eiusdem aetatis oratores praecurrit, quam iudicio. Primus enim excoluit orationem, primus et[6] verbis delectum adhibuit et composi-

tiliani X, 1, 33 *Licet tamen nobis in digressionibus uti vel historico nonnunquam nitore, dum in his, de quibus erit quaestio, meminerimus non athletarum toros, sed militum lacertos esse,* ubi cf. intpp. Ovid. Met. XIV, 283 *colla tument toris.* Cic. Tusc. II, 8 *O pectora, o terga, o lacertorum tori.*

1 Edd. vett. cum Ald. *ipsos quoque.* Quod nunc vulgatur, Mureti debetur sagacitati, et posthac in codd. Vat. inventum est, quibus recentiores editores obtemperandum duxere.

2 Edd. vett. cum Ald. *robur,* cuius loco iam Pichena *rubor* commendavit, quod multi probarunt. Neque aliter Codd. Vat. Lipsius *rubore* et hinc pariter mox *decore.*

3 Pro *tegit* ex Schultingii coniectura Schulz. et Oberl. *tingit.* Mox pro *decor* unus Vatic. *decorum.*

4 Spir. *quia nuper ipsum sentit,* ex quibus Puteolanus eam lectionem effecit, quae plurimis probata, a me quoque recepta est. Neque aliter Seebod. et Dronkius.

5 Excidisse quaedam videntur, quod asteriscis positis iam Seebodius significavit. Quare in sequentibus tutissimum visum est, Spirensis scripturam exhibere, quam retinent etiam Edd. vett. plurimae. Et ita Ald. quoque, nisi quod *videremus* exhibet. Recentiores varie locum tentarunt, sed frustra. Salus a Mss. aliquando conferendis exspectanda unice est. Ex Freinshemii coniectura Schulzius et Oberl. dederunt *quia non per ipsum stetisse, quo minus l. n. n. t. exprimeret, videmus, in quantum iudicio — suffecit.* Nonnulli *suffecerit.* Virorum doctorum commenta, si lubet, legas in Schulzii Excursu IV.

6 Sic Rhenanus correxit, et hinc *et* ab Ald. inde sequentibus editoribus omnibus probatum est, Dronkio excepto, qui ex Spir. *ex* revocavit, veritus, ne *adhibere delectum alicui rei* non recte dicatur, quum notio rei, cuius delectum habeamus, non referri possit ad verbum sed ad nomen delectus. Et sane plerumque dicitur *delectum habere* vel *facere* vel *agere alicuius rei.* Cic. de Orat. III, 37 *delectum habere verborum.* Quintil. II, 8, 7 *studiorum facere delectum.* X, 3, 5 *delectus enim rerum verborumque agendus est* [alii *habendus:* sed *agere delectum* Plinius dixit H. N. VII, 29]. XII, 9, 6 *verborum quidem delectus.* Sed aliud prorsus

tioni artem; locos quoque[1] laetiores attentavit et quasdam sententias invenit, utique in his orationibus, quas senior iam et iuxta finem vitae composuit, id est, postquam magis profecerat, usuque et experimentis didicerat, quod optimum dicendi genus esset[2]. Nam priores eius orationes non carent vitiis antiquitatis: lentus est in principiis, longus in narrationibus, otiosus circa excessus, tarde commovetur, raro incalescit: pauci sensus apte[3] et cum quodam lumine terminantur[4]: nihil excerpere, nihil[5] referre possis: et, velut in rudi aedificio, firmus sane paries et duraturus, sed non satis expolitus et splendens. Ego autem oratorem, sicut locupletem ac laudatum[6] patrem familiae, non eo tantum volo tecto tegi, quod imbrem[7] ac ventum arceat, sed etiam quod visum et oculos delectet: non ea solum instrui supellectile, quae necessariis usibus sufficiat, sed etiam[8] sit

est *adhibere delectum*, quod pari iure dativum adsciscere potest, quo Cicero de Fin. V, 30, 90 recte dixit *delectum adhibere ad aliquam rem*. Praeterea aequalis membrorum orationis iunctura repudiat *ex*, et postulat *et*.

1 Edd. vett. cum Ald. *locosque*, quod cum lectione nunc ab omnibus recepta commutandum iam Muretus aliique viderunt. Et comprobatum dedit Brotierius codd. Vat. auctoritate. Mox Spir. et Puteol. *latiores* pro *laetiores*, quod primus Muretus assecutus est, quodque recentiores recte amplexi sunt. Aliae Edd. vett. cum Ald. *altiores*. Codex Vat. 4498 *lectiores*.

2 Edd. vett. et Ald. lectionem *est* tolerarunt haud laudabili patientia nonnulli, quos inter etiam Dronkius est. *Esset* debetur Acidalio, quem Oberl. et Seebod. ed. 1 recte secuti sunt.

3 Quod cum Dronkio plurimisque recentiorum editorum dedi, Acidalii ingenio rursus debetur, et in hac lectione interim acquiescere tutissimum erit. Unus cod. Vat. et vetus liber Lipsii *optet:* et sic fere Edd. vett. cum Ald., quae *opt. et* exhibent. Alter Vat. *opti.* Editio Romana, teste Lipsio, *sensus opacus.*

4 Edd. vett. cum Ald. *terminatur*. Repositum invenit Pithoeus.

5 Hoc e libro suo dedit Lipsius, et secuti sunt reliqui. Spir. *nihil ex tempore, nihil.* Alterum *nihil* delevit Puteol., et hinc ita plurimae Edd. vett. cum Ald.

6 Ut optimum esse concedam, quod ex Lipsii auctoritate recentiores susceperunt *lautum*, tamen retinui Edd. vett. omnium lectionem, quippe quae explicatione haud prorsus carere videatur. Eandem Seebod. ed. 1. probaverat. Mox Spir. *patres,* quod Puteolanus emendavit.

7 Ald. *hymbrem.*

8 Revocavit Dronkius *etiam,* quod in Edd. vett. et Ald. legitur, quodque primum in ed. Coloniensi excidisse fertur, et hinc plane oblitteratum fuit. Mox pro *sit* Imm. Bekker. *sint.* Defendit pluralem Iacob. in Add. ed. Dronk. p. 248 loco Caesaris de B. G. VII, 37.

in apparatu eius et aurum et gemmae, ut sumere in manus aut [1] adspicere saepius liceat [2]. Quaedam vero procul arceantur [3], ut iam oblitterata et olentia; nullum sit verbum velut rubigine infectum [4]; nulli sensus tarda et inerti structura in morem annalium componantur; fugitet [5] foedam et insulsam scurrilitatem, variet compositionem, nec omnes clausulas uno et eodem modo determinet [6].

Cap. XXIII.

Nolo irridere *rotam fortunae* [7] et *ius Verrinum* [8] et illud tertio quoque sensu [9] in omnibus orationibus pro sententia positum, *esse videatur* [10]. Nam et hoc invitus [11] retuli et plura omisi, quae tamen sola mirantur atque exprimunt hi, qui se antiquos oratores vocant [12]: neminem nominabo, genus hominum signavisse [13] contentus. Sed vobis utique versantur ante oculos isti [14], qui

1 *Aut* Edd. vett. et Ald., quod reduxit Dronkius. *Et* debetur Lipsio, quem reliqui secuti sunt.

2 Primus Seebodius, quem Dronkius secutus est, ex Edd. vett. revocavit: neque aliter Ald. Ex Agricolae coniectura vulgabatur *libeat*.

3 Ante Lipsium Edd. omnes *arceantur*.

4 Debetur Rhenano. Spir. et quaedam aliae Edd. vett. *vel rubigine infestum*.

5 Bene hoc ex duobus codd. Vat. reduxit Dronkius: tertius Vat. *fugiet*. Vulgatur in omnibus Edd. *fugiat*.

6 Retinui interim Codicum et Edd. vett. lectionem, a Lipsio inde proscriptam et in *terminet* mutatam: quamquam neque ego novi exemplum, quo *determinare* pro *terminare* positum sit.

7 Cic. in Pison. 10, 22.

8 II Verr. I, 46, 121.

9 Pro *sensus* (Dronk. falso refert *sus*), quod in Spir. legitur, ab Alciati inde tempore vulgatur id quod ego quoque exprimendum interim curavi, de veritate huius lectionis valde dubius. Mox *orationibus* in quibusdam Edd. vett., quas inter Ald. quoque est, excidit. Legitur vero in Spir. atque etiam in codd. Vat., unde restituit Brot., Muretus iam ante e coniectura.

10 Cf. Quintil. IX, 4, 73 ibique Spalding.

11 Ex Puteolani sententia vulgabatur *invitus* et hoc ad nostra usque tempora fere. Unus Seebod. ed. 1 *invitatus* dedit, quod firmant Codd. et Spir., in altera rursus *invitus* amplectens. Tandem genuinam lectionem Dronkius restituit, quem sequi par erat.

12 Debetur Lipsio. Codd. Vat. et Edd. vett. cum Ald. *vocabant*. Schurzfl. et Schulting. *vocitent*.

13 Ita scripsi e codd. Vat. Vulgo *signasse*.

14 Bene *isti*, quod a vulgatis abest, inseruit Dronkius e codd. Vat. Idem rectissime mox e vestigiis Spirensis *tui fidi* exhibentis unde Puteolanus, Ald. et plurimi *tui Aufidii*, id quod edidimus *T. Aufidii*. Sed non pri-

Lucilium pro Horatio, et Lucretium pro Virgilio legunt: quibus eloquentia T. Aufidii Bassi aut Servilii Noniani ex comparatione Sisennae aut Varronis sordet: qui rhetorum nostrorum commentarios fastidiunt, oderunt [1], Calvi mirantur: quos, more prisco apud iudicem fabulantes, non [2] auditores sequuntur, non populus audit, vix denique litigator perpetitur: adeo moesti et inculti illam ipsam, quam iactant, sanitatem non firmitate [3], sed ieiunio consequuntur [4]. Porro ne in corpore quidem valetudinem [5] medici probant, quae animi anxietati contingit [6]: parum est, aegrum non esse; fortem et laetum et alacrem volo: prope [7] abest ab infirmitate, in quo sola

mus ille ita scripsit, sed Schulzius, quem falso refert ex Schurzfleischii sententia edidisse *Titi Aufidii.*

1 Heumannum *oderunt* pro glossemate habentem iam Wopkens. l. c. refutavit. Mox Spir. *miramur. Mirantur* debetur Puteolano.

2 Negationem, quae ab Edd. vett. et Ald. abest, restituit Lipsius.

3 Facillimam Acidalii correctionem cum Dronkio aliisque suscepi. Codd. Vat. duo pro *non firmitate* habent *infirmitate;* Spir. *infirmitatem,* quae vox, Puteolano duce in Edd. vett. nonnullis, quibus annumera Aldinam, omittitur. Lipsius *infirmitate et ieiunio,* non sine applausu Gronovii. Pithoeus *sanitatem, sed infirmitatem ieiunio.*

4 Duo codd. Vat. *consequentur.*

5 Vulgatam vocabuli scripturam interim expressi, quod item multis Taciti locis edi observo. Spir. vero *valitudinem,* quam formam, ab aliis damnatam (v. Forcell. Lex. h. v.), Goerenzius adeo in Cicerone exhibuit: v. c. Fin. II, 11, 34. Haud mala est Heusingeri sententia ad Off. 1, 21, 3 prolata, alteram scripturam per *i* tum demum invectam esse, quum ab antiqua pronuntiandi lege aberrantes secundam huius vocabuli syllabam corriperent, quae olim producebatur. Certi autem vix quidquam hac in re statuas. Cf. Cellarii Orthogr. Lat. p. 378. Frequens enim et usitata erat apud antiquos commutatio litterarum *i* et *e*. Sic *mane* et *mani*, *here* et *heri*, *vespere* et *vesperi* in usu erant: v. Donat. ad Ter. Phorm. I, 1. et Anal. crit. p. 192.

6 Non Oedipo opus videtur hoc loco, sed codicibus melioribus. Vaticani quid ferant, ignoramus: quod vero ferre videntur, interim cum Dronkio dedi. Spir aliaeque Edd. vett. *animi anxietati confixit,* sine sensu. Rhenanus *animi anxietati confinis sit,* quod Ald. et alii susceperunt: idem in Castigat. proposuit *animi anxietate* (Dronk. tradit *anxietati*) *consistit.* Lipsius cum multis *animi anxietate contingat.* Ex Groslotii sententia Oberlinus *quae a nimia anxietate contingat:* et hoc Schulz., sed omissa praepositione.

7 Cod. Ven., ut fertur, *haut prope;* Spir. *proprie* pro *prope,* quod Beroaldus vel Alciatus correxit.

sanitas laudatur. Vos ergo [1], disertissimi, ut potestis, ut facitis, illustrate seculum nostrum pulcherrimo genere dicendi. Nam et te, Messala, video laetissima [2] quaeque antiquorum imitantem: et vos, Materne ac Secunde, ita gravitati [3] sensuum nitorem et cultum verborum miscetis; ea electio inventionis, is ordo rerum, et [4], quoties [5] causa poscit, ubertas; ea, quoties permittitur, brevitas, is compositionis decor, ea [6] sententiarum plenitas [7], sic exprimitis affectus, sic libertatem temperatis, ut, etiamsi nostra iudicia malignitas et invidia tardaverit, verum de vobis dicturi [8] sint posteri nostri.

Cap. XXIV.

Quae quum Aper dixisset, Agnoscitisne, inquit Maternus, vim et ardorem Apri nostri? quo torrente, quo impetu seculum nostrum defendit! quam copiose ac varie vexavit antiquos! quanto non solum ingenio ac spiritu, sed etiam eruditione et arte ab ipsis mutuatus [9] est, per quae mox ipsos incesseret! Tuum tamen, Messala, pro-

1 Bene revocavit Dronkius ex Edd. vett. Vulgabatur *vero* ex tacita Lipsii correctione. Mox nonnulli recentiores *disertissimi viri*.

2 Rhenanus in Castigat. *lectissima*.

3 A Gronovio inde *gravitate* vulgatum. Sed passim Tacitus *miscere alicui aliquid*. Mox *sensuum* recepit e codd. Vat Ernestius, quem merito caeteri secuti sunt: Edd. vett. omnes *summum*.

4 Retinui cum Dronkio Edd. vett. lectionem, sine iusta causa a Bipont. et Schulzio, praeeunte Wopkensio l. c., in *ea* scilicet ob concinnitatem sermonis mutatam.

5 Utrum *quoties*, an *quotiens* scribendum sit, magna est virorum doctorum dubitatio et dissensio. Et fuere, qui *quotiens* vocem nihili esse statuerent: quae adeo Lipsii fuit sententia. Cf. Cellarii Orthogr. Lat. p. 336. Nahmacher de Fragmento Fastorum Ovidii, p. XI. Ego sic statuo, utramque formam esse Latinam, *quotiens* vero antiquiorem fuisse, quippe quae eandem originem habuerit ac *triens*, quod immutatum mansit, dum *quotiens* transibat in mitiorem formam *quoties*, qua sola cultioris aetatis scriptores uterentur. Aliter vero alii statuunt: v. Hessii Var. lect. in Tac. Germ. Comm. II. p. 12.

6 *Ea* adiecit e codd. Vatic. et Spir. Ernestius. In aliis Edd. vett. omittitur, ut in Ald. quoque.

7 Sic cum Bipont. Seebodio et Dronkio ex uno Vat scripsi. Vulgo *planitas*, quod tenent alteri duo codd. Vat. et Edd. vett. Lipsius suadebat *sanitas*. Post *plenitas* Dronkius e codd. Vat. adiecit *est*.

8 Debetur Lipsio. Edd. vett. *daturi*.

9 Spir. *maturatus* et mox *incessetur* pro *incesseret*. Utrumque correxit Puteolanus.

missum immutasse[1] non debes: neque enim defensores antiquorum exigimus, nec quemquam nostrum[2], quamquam modo laudati sumus, his, quos insectatus est Aper, comparamus. Ac ne ipse quidem ita sentit, sed, more veteri et a vestris[3] philosophis saepe celebrato, sumpsit sibi contradicendi partes. Expreme[4] nobis non laudationem antiquorum (satis enim illos[5] fama sua laudat), sed causas, cur in[6] tantum ab eloquentia eorum recesserimus, quum praesertim centum et viginti annos ab interitu Ciceronis in hunc diem effici ratio temporum collegerit[7].

Cap. XXV.

Tum Messala: Sequar a te praescriptam formam, Materne: neque enim diu contradicendum est Apro, qui

1 Ex Lipsii coniectura, duobus codd. Vat. comprobata, nunc vulgatur; Edd. vett. *ita mutasse*, quod adscivit Seebodius; neque hoc explicatione iusta caret.

2 Edd. vett. *nostrorum*. Ex Acidalii coniectura nunc vulgatur *nostrum*, quod usui loquendi sane consentaneum est, quamquam negari non potest, antiquiores etiam *nostrorum* dixisse, ubi posterior aetas *nostrum*. Exemplis, quae contulit Ramshornius Gr. Lat. §. 158. p. 340. Not. addas Plautum ap. Non. 4, 133 *qui nequeas, nostrorum uter sit Amphitruo, decernere*.

3 Ita e codd. Vat. (unus *nostris* pro *vestris*) iam Brotierius, quem Dronk. secutus est. A Lipsio inde, qui in libro veteri invenit *et alias a vestris*, vel hoc vulgatum, vel *et alias vestris*, abiecta praeposisione, ut iam in Ald. scriptum exstat. Spir. et rel. Edd. vett. *et aliis vestris*. Ego olim scriptum puto *et aliis et vestris*.

4 Ex Acidalii coniectura codd. Vat. auctoritate confirmata ita nunc vulgatur. Spir. *exprimo*, unde Puteolano auctore Edd. vett. *exprime*.

5 Ex uno Vat. Dronkius *istos*.

6 Praepositionem omittit unus Vat.

7 Sine causa vexatus hic locus, qui Ernestio ob frigidam orationem affectus videbatur: quare *tantum* excidisse ratus, scribi voluit *ratione temporum collegerit* scil. Aper, quod probavit Schulzius. Alio modo Schultingius locum tentat. Praeeunte Bipontino omnium optime F. A. Wolfius vulgatam defendit. „Hic alii, inquit, Apri nomen adscribi volebant: alii id nomen subaudiendum putabant. Alterum violentum esset, alterum genio linguae contrarium. Non *oculis nutuque*, ut ille ait, Latini loquuntur pro substantivis. nec par exemplum cap. 25 extr. Vel una analogia fretus, Latine bene dici statuerim, *ratio colligit*, eo sensu, quo Germani *die Berechnung ergiebt*. Sicut enim in dialecticis dicitur, *ratio efficit, vincit, constat* etc. ita in alio genere ratiocinandi, usu numerorum, iisdem formulis locus esse debuit. Quippe hic fons translationis. In numeris autem proprium *colligere*: fere semper

primum [1], ut opinor, nominis controversiam movit [2], tamquam parum proprie antiqui vocarentur, quos satis constat ante centum annos fuisse [3]. Mihi autem de vocabulo pugna non est, sive illos antiquos sive maiores sive quo alio mavult nomine appellet, dummodo in confesso sit, eminentiorem illorum temporum eloquentiam fuisse. Ne illi quidem parti sermonis eius repugno, sicut omnes fatentur [4], plures formas dicendi etiam [5] iisdem seculis, nedum diversis exstitisse. Sed quo modo inter Atticos oratores primae Demostheni tribuuntur [6], proximum autem locum Aeschines et Hyperides et Lysias et Lycurgus obtinent, omnium autem consensu haec oratorum aetas maxime probatur: sic apud nos Cicero quidem caeteros eorumdem temporum disertos antecessit: Calvus autem et Asinius et Caesar et Coelius [7] et Brutus sic [8] iure [9] et prioribus et sequentibus anteponuntur: nec

quidem de ratiocinatore, at etiam, ut opinor, de ipsa ratione. Simillime Plinius Epp. II, 19, 9 *Omnes in utraque parte calculos pone idque elige, in quo vicerit ratio.* Ceterum hic Apri cap. 17 putidam in temporibus computandis sedulitatem agitari manifestum est. Iam quid tandem in principio est, quod frigeat? *Tantum* subauditur, ut saepe fit. *Praesertim* vero propter ipsam paucitatem annorum adiectum est." Cicero Ep. ad. Div. V, 13 *rationes in ea disputatione a te collectae vetabant me reipublicae penitus diffidere.*

1 Heumann. *primus.*

2 Edd. vett. cum Ald. *non .... movit.* Lacunam e libro suo Lipsius explevit restituendo *nominis controversiam movit*, quod nunc vulgatur.

3 Muretus *annos et infra fuisse.*

4 Edd. vett. *si quo minus fatetur*, quam lectionem quamvis aperte vitiosam fuere qui servarent. Lips. et Pithoeus dederunt *si comminus fatetur;* Acidalius *qua fatetur* vel *quin omnes fatemur* vult. Bipont. et Oberlin. *sic, quo minus fatear;* Schulz. *qua omnino fatetur.* Schneider. l. c. p. 10 totum locum ita refingi posse arbitratur: *Ne illi quidem parti sermonis eius repugno. Sic enim non minus fatemur, plures* etc. Seebodius *in quo omnino fatetur*, et sic Dronk., nisi quod *qua* scribit. Quod interim ego dedi, mea est coniectura, quam non ut caeteris meliorem, sed certe non deteriorem suscepi.

5 Addit Spir. *hoc*, quod Beroaldus vel Alciatus delevit.

6 Deberi videtur Lipsio. Edd. vett. cum Ald. *tribuerit.*

7 Verba *et Coelius*, quae a Spir. absunt, Puteolanus adiecit, e sequentibus, ni fallor.

8 *Sic*, quod Codd. et Edd. vett. cum Ald. tenent, mutatum temere est in *suo*, quod nunc vulgatur et a Dronkio quoque receptum est: quamquam is placere sibi ait Schurzfleischii commentum, pro *sic vere* (hoc Codd. pro *iure*) legentis *secure.* Tyrwhitt. coni. *simili.*

9 Ita Edd. vett. In Codd. *vere.*

refert, quod[1] inter se specie differant, quam genere consentiant. At strictior[2] Calvus, numerosior Asinius, splendidior Caesar, amarior Coelius, gravior Brutus, vehementior et plenior et valentior Cicero; omnes tamen eamdem sanitatem[3] eloquentiae ferunt: ut, si omnium pariter libros in manum sumpseris, scias[4], quamvis in diversis ingeniis, esse quamdam iudicii ac voluntatis[5] similitudinem et cognationem[6]. Nam, quod invicem se obtrectaverunt, et sunt[7] aliqua epistolis eorum inserta, ex[8] quibus mutua malignitas detegitur, non est oratorum vitium, sed hominum. Nam et Calvum et Asinium et ipsum Ciceronem credo solitos et invidere et livere et caeteris humanae infirmitatis vitiis affici. Solum inter hos arbitror Brutum, non malignitate, nec invidia, sed simpliciter et ingenue iudicium animi sui detexisse. An ille Ciceroni invideret[9], qui mihi videtur ne Caesari quidem invidisse? Quod ad Ser. Galbam et C. Laelium[10] attinet, et si quos alios antiquorum agitare non destitit[11], non exigit defensorem, quum fatear, quae-

1 Rhenanus cum Ald. aliisque Edd. vett. *qui.* Vulgatum Spir., et restituit Lipsius quidem. Mox falsum quod refert Dronkius in Spir. legi *spe* pro *specie:* teste Hessio Spir. *spē*, h. e. *specie.*

2 Debetur Lipsio, quod bene amplexus est Dronkius, dum plerumque vulgabatur *Adstrictior.* Spir. *aut strictior.* Reliquae Edd. vett. cum Ald. *at tristior.*

3 Ex Rhenani emendatione. Priores Edd. *sanctitatem.*

4 Debetur Lipsio, qui in codice suo solo invenerat *sciam.* In Edd. vett. et Ald. plane omittitur. Muretus iam *sentias* inserere volebat.

5 Ut concedam optime habere Rhenani lectionem *ac luminis,* quam probavit Dronkius, tamen malui in Ursini et Lipsii correctione *ac voluntatis* acquiescere, ut quae ad scripturam Edd. vett. propius accedat. Et receperunt plurimi. Edd. vett. cum Ald. *ac voluminis.* Fähsius et Seebodius *ac acuminis.*

6 Spir. et Puteol. *cogitationem.* Nihil certius emendatione Beroaldi *cognationem.*

7 Spir. *super,* unde Puteolanus *supersunt,* quod hinc in Ald. et omnibus fere editionibus servatum est. Verius autem cum Brot. e codd. Vat. Dronkius *sunt* dedit, quem sequi par fuit.

8 Praepositionem Acidalius deleri voluit.

9 E codd. Vat. Dronkius bene revocavit: unus solus *invidere.* Et Spir. *an ille invideret Ciceroni.* Vulgo *an invideret Ciceroni:* neque aliter Ald.

10 Quum Laelii nomen ab Apro in antecedentibus allatum non fuerit, Schurzfleischius suspicatur multa excidisse e dialogo.

11 Spir., teste Hessio, *destitit,* quod Puteolanus in *desistit* mutavit, quod rel. Edd. vett. cum Ald. tenent et a Brot. et Dron-

dam eloquentiae eorum, ut nascenti adhuc nec satis adultae, defuisse.

Cap. XXVI.

Caeterum si, omisso optimo illo et perfectissimo genere eloquentiae, eligenda sit forma dicendi, malim hercule C. Gracchi impetum aut L. Crassi maturitatem quam calamistros Maecenatis aut tinnitus Gallionis. Adeo melius[1] est, oratorem vel hirta toga induere, quam fucatis et meretriciis vestibus insignire. Neque enim oratorius iste, immo, hercule, ne virilis quidem cultus est, quo plerique temporum[2] nostrorum actores[3] ita utuntur, ut lascivia verborum et levitate sententiarum et licentia compositionis histrionales modos exprimant: quodque vix auditu fas esse debeat[4], laudis et gloriae et ingenii loco plerique iactant, cantari saltarique commentarios suos. Unde oritur illa foeda et praepostera, sed tamen frequens quibusdam exclamatio, ut oratores nostri tenere[5] dicere, histriones diserte saltare dicantur. Equidem non negaverim, Cassium Severum, quem solum Aper noster nominare ausus est, si his comparetur, qui postea fuerunt, posse oratorem vocari, quamquam in magna parte librorum suorum plus vis[6] habeat, quam sanguinis. Primus enim, contempto[7] ordine rerum, omissa modestia ac pudore verborum, ipsis etiam, quibus utitur[8], armis incompositus, et studio[9] feriendi plerumque deiectus[10],

kio revocatum est. Lipsius illud suscepit caeterisque editoribus probavit. Mox Heumann. *exigo*.

1 *Est*, quod omittitur in Edd. vett. et Ald., e codd. Vat. Brotierius restituit, quem merito omnes secuti sunt. Post *melius* addi in Spir. *in* Dronkius monuit: qua de re nil annotat Hessius.

2 Edd. vett. cum Ald. *ipsorum*. E codice suo Lipsius *temporum*, quod codd. Vat. auctoritate comprobatum recepere omnes.

3 Codd. Vat. *auctores*.

4 Muretus aliique *debebat*.

5 Egregia est Lipsii coniectura, omnibus deinceps probata. Edd. vett. cum Ald. *temere*. Teneram dicentis vocem vituperat Fabius quoque XI, 3, 23.

6 Post alios bene Dronkius omnium librorum lectionem retinuit. Pro *vis* Gronov. *irae*, Schurzfl. *puris*, quod adeo fuere qui reciperent. Alii etiam alia.

7 Ita Rhenanus et qui secuti sunt. In prioribus Edd. *contexto*.

8 Ex Rhenani coniectura in Castigat. Lipsius dedit. Edd. vett. cum Ald. *utimur*.

9 Ante Rhenanum edebatur *studiis*.

10 *Deiectus*, quae est lectio Edd. vett. et recentiorum paene omnium, bene explicuit Dron-

non pugnat, sed rixatur. Caeterum, ut dixi, sequentibus comparatus et[1] varietate eruditionis et lepore urbanitatis et ipsarum virium robore multum caeteros superat: quorum neminem Aper nominare et velut in aciem educere sustinuit. Ego autem exspectabam, ut, incusato[2] Asinio et Coelio et Calvo, aliud nobis[3] agmen produceret, pluresque[4] vel certe totidem nominaret, ex quibus alium Ciceroni, alium Caesari, singulis demum singulos opponeremus. Nunc[5], detrectasse nominatim antiquos oratores contentus, neminem sequentium laudare ausus est nisi in publicum et in commune, veritus[6], credo, ne multos offenderet, si paucos excerpsisset[7]. Quotus enim quisque scholasticorum non hac sua persuasione fruitur, ut se ante Ciceronem numeret[8], sed plane post Gabinianum?

Cap. XXVII.

At ego non verebor nominare singulos, quo facilius, propositis exemplis, appareat, quibus gradibus fracta sit et deminuta[9] eloquentia.

Appropera[10], inquit Maternus, et potius exsolve pro-

kius. Quod Lipsius in cod. Romano reperisse se ait *delectus*, perperam receperunt nonnulli.

1 Spir. *ex*, quod Rhenanus correxit.

2 Ex Lipsii emendatione recentiores omnes. Spir. *in curato*. Reliquae Edd. vett. cum Ald. *Bruto*. Pithoeus *incusato Bruto*.

3 Quod casu in Lipsianam irrepsit *novum* pro *nobis*, temere suscepit Seebodius.

4 Edd. vett. *plerisque*; Ald. *pluresque*. Alii ex recentioribus *plurisque*.

5 Edd. vett. ante Rhenanum, ut videtur, *non*.

6 Debetur Lipsio. Priores Edd. cum Ald. *veritum*.

7 Pithoeus *excepisset*.

8 Edd. vett. lectionem revocavi. Oberlinus dedit *ut se non quidem ante Ciceronem*, Seebodius ed. alt. *ut se ante Cic. ni numeret*; Dronkius *ut se ante Ciceronem non numeret*. Totum locum Schurzfleischius ita refinxit: *ut si ante Ciceronem non numeret se, at* (vel *saltem*) *plane post Gab*. Non opus correctione in loco sano, modo recte sensum explices. Dicere Noster voluit: scholasticorum illorum nullum esse quin hac sua persuasione fruatur, eloquentia quidem nulli, ne Ciceroni quidem, se cedere, nolle tamen hoc pro modestia sua vel reverentia palam profiteri, ideoque quum de se profitendum sit, numerare se post Gabinium, et ipsum oratorem clarissimum quamvis non absolutissimum. Nempe haec est vis v. *plane*, pro *aperte, palam* positae.

9 Edd. vett. cum Ald *diminuta*. In MS. Taciti constanter *deminuere* reperiri, observavit Pichena ad Annal. I, 14.

10 Spir. *appropera te*, quod Puteolanus correxit. Mox pro *po-*

missum. Neque enim hoc colligi desideramus, disertiores esse antiquos, quod apud me equidem [1] in confesso est, sed causas exquirimus, quas te solitum tractare paullo ante dixisti, plane mitior et eloquentiae temporum nostrorum [2] non iratus, antequam te Aper offenderet, maiores tuos lacessendo [3].

Non sum, inquit, offensus a prima [4] disputatione; nec vos offendi decebit, si quid forte aures vestras perstringit [5], quum sciatis, hanc esse eiusmodi sermonum legem, iudicium animi citra damnum affectus proferre.

tius ex Acidalii coni. Heumannus *ocius*.

1 Edd. vett. cum Ald. *equidem*, quod postulante Latinitate Ernestius in *quidem* mutavit et omnibus praeter Dronkium deinceps editoribus probavit. Pro certo sane sumitur, *equidem* apud Ciceronem et antiquos nonnisi primae personae iungi. V. Bentl. ad Terent. Eun. V, 4, 33. Heusing. ad Cic. Off. I, 12, 1. Quam regulam nunc in dubium vocare nolo, quamquam non desunt exempla, nisi corrigantur, contraria, ut Plaut. Aul. II, 1, 18. Adde pro Cicerone ipsum Servii testimonium, qui ad Aen. I, 576 dicit: „*Equidem*] in Virgilio, *ego quidem* ubique significat, sed in aliis et pro *quidem* tantum ponitur: ut Tullius, *Ego quidem caeteras tempestates*. Item. Persius, *Non equidem hoc dubites amborum foedere certo Consentire dies*." In quo Ciceronis loco patet *Equidem* ex Servii sententia legendum esse. Sed in ambiguo nunc, ut dixi, hunc antiquorum temporum usum relinquo. Defendit in Nostro formam *equidem*, quod recepit Dronkius, sequiorum temporum Latinitas, de qua vide Oudendorp. ad Apuleii Metam. I. p. 10. Passovium ad Persii I. p. 340. Exemplis ibi allatis adde Ausonium p. 204 ed. Bip. *qui nuptias quondam eiusmodi ludo descripserat, aptis equidem versibus*.

2 Amplexus sum cum aliis, a quorum parte Dronkius quoque stat, Schelii lectionem, conflatam ex libro veteri, quem Lipsius laudavit, exhibente *paullo ante dixisti, plane mitiore*. Spir. et Puteol., teste Hessio, *paulo ante plane mitiore eloquentia et temporum nostrorum non miratus: iratus*. Verba tamen *nostrorum non* a Spir. abesse annotat Dronkius. *Temporum nostrorum iratus* e codd. Vat. profertur. Ald. (praeeunte, nisi fallor, Rhenano) *paullo ante, plane mitiore eloquentia et temporum nostrorum miratus, antequam* etc. Reliqua virorum doctorum commenta, quibus affecto loco medelam afferre studuerunt, collecta habes a Schulzio et Dronkio. Addam unam Schneideri l. c. p. 11 coniecturam: *paullo ante dixisti, plane mitiori eloquentiae temporum nostrorum minatus, antequam* etc.

3 Heumann. *incessendo*.

4 Lectionem codd. Vat. et Edd. vett. Aldinaeque cum Seebodio et Dronkio dedimus. Ex Lipsii coniectura vulgabatur *Aprina* pro *a prima*. Gronov. *Apri nostri*.

5 Ex Lipsii correctione fere omnes *perstringet*. Edd. vett. cum Ald. id quod cum Dronkio recepimus.

Perge, inquit Maternus, et, quum[1] de antiquis loquaris, utere antiqua libertate[2], a qua vel magis degeneravimus quam ab eloquentia.

Cap. XXVIII.

Et Messala: Non reconditas, Materne, causas requiris, nec aut tibi ipsi aut huic Secundo vel huic Apro ignotas; et iam[3] mihi partes assignatis proferendi in medium, quae omnes sentimus[4]. Quis enim ignorat, et eloquentiam et caeteras artes descivisse ab ista[5] vetere gloria, non inopia hominum, sed desidia iuventutis et negligentia parentum et inscientia praecipientium et oblivione moris antiqui? Quae mala primum in Urbe nata, mox per Italiam fusa, iam in provincias manant. Quamquam nostra nobis[6] notiora sunt: ego[7] de Urbe, et his propriis ac vernaculis vitiis loquar, quae natos statim excipiunt et per singulos aetatis gradus cumulantur; si prius de[8] severitate ac disciplina maiorum circa educandos formandosque[9] liberos pauca praedixero. Iam primum[10] suus cuique filius, ex casta parente natus, non in cella emptae nutricis, sed gremio ac sinu matris educabatur, cuius praecipua laus erat, tueri domum et inservire liberis. Eligebatur autem aliqua maior natu propinqua, cuius probatis spectatisque moribus omnis eiusdem[11] familiae suboles[12] committeretur, coram qua

1 Verba *et quum* desunt in Edd. vett. et Ald. E cod. Farnes. ea protulit Lipsius et mox ab omnibus recepta sunt.

2 Spir. *ubertate,* quod correxit Puteolanus. Mox praepositionem *a* primus Pithoeus inseruit: abest a codd. Vat. et Edd. vett. et Ald.

3 Cum Dronkio ex Edd. vett. scripsi. Liber scriptus Lipsii *etenim iam si,* unde eruerunt *etiamsi,* quod plurimi probarunt.

4 Quod in Spir. legebatur *sentimus,* Puteolanus omisit et ita etiam in Ald., omissum fuit, donec Lipsius restituit.

5 Muretus *illa* maluit, quod nonnulli susceperunt.

6 Debetur Rhenano. Codd. Vat. *nostra vobis;* Spir. et Puteol. *vestra vobis.*

7 Ex Acidalii coni. nonnulli *ergo.*

8 Spir. *a* pro *de:* emendavit Puteol.

9 Praeter Spirensem, quae *formandosque* exhibet, Edd. vett. cum Ald., praeeunte Puteolano, *firmandosque.* Illud revocavit bene Lipsius.

10 Ante Rhenanum *iam pridem.*

11 Ita iam e codd. Vat. Brotierius, quem Seebod. et Dronk. secuti sunt. Edd. vett. *cuiusdam:* hinc Rhenanus *cuiuspiam*, quod ab Ald. inde tantum non omnes editiones occupavit.

12 Alii *soboles.* De discrepantia

neque dicere fas erat, quod turpe dictu, neque facere, quod inhonestum factu videretur. Ac non studia modo curasque [1], sed remissiones etiam lususque puerorum sanctitate quadam ac verecundia temperabat. Sic Corneliam Gracchorum, sic Aureliam Caesaris, sic Atiam [2], Augusti matrem, praefuisse educationibus ac produxisse principes liberos accepimus. Quae disciplina ac severitas eo pertinebat, ut sincera et integra et nullis [3] pravitatibus detorta uniuscuiusque natura toto statim pectore arriperet artes honestas et, sive ad rem militarem, sive ad iuris scientiam, sive ad eloquentiae studium inclinasset, id solum ageret, id universum hauriret.

Cap. XXIX.

At nunc natus infans delegatur Graeculae alicui ancillae, cui adiungitur unus aut alter ex omnibus servis plerumque vilissimus, nec cuiquam serio ministerio [4] accommodatus. Horum fabulis et erroribus [5] teneri statim et rudes animi imbuuntur. Nec quisquam in tota domo pensi habet, quid coram infante domino aut dicat aut faciat: quin etiam [6] ipsi parentes nec probitati neque modestiae parvulos assuefaciunt, sed lasciviae et libertati [7]; per quae paullatim impudentia irrepit et sui * [8] contemptus. Ideo [9] vero propria et peculiaria huius Ur-

scripturae v. Cellarii Orthogr. Lat. p. 356.

1 Ita codd. Vatic., Farnes. et Spir., quam lectionem immerito deseruerunt, *solum moresque* substituentes: ita Ald.

2 Edd. vett. cum aliis *Attiam*.

3 Edd. vett. *in nullis*. Praepositionem delevit Rhenanus.

4 Ante Lipsium vulgabatur in omnibus *minister*.

5 Schurzfleisch. *terroribus*.

6 Ita e codd. Vat. cum Seebodio et Dronkio scripsi. Reliqui omnes *quando etiam*.

7 Bene Dronkius retinuit explicuitque *libertati*, quod in Edd. vett. et Ald. servatur. Noli tamen huc trahere Hist. II, 10, ubi *libertas et licentia*, quae iuxta collocantur, invicem sibi opponuntur. *Lascivia et libertas* Schneiderus l. c. p. 11 pro lasciva libertate positum arbitratur. Teste Lipsio, pro *libertati* vetus liber *bibacitati*, in quo Rutgersius *vivacitati* latere suspicatur, Schurzfl. coni. *licentiae;* alii *dicacitati*.

8 In Edd. vett. et Ald. lacuna est unius vocabuli, quam inserendo *alienique* Lipsius explevit, et ita nunc vulgari solet: neque respuit Dronkius, licet de supplemento hoc dubius. Heumannus *aliorumque*. Malui asterisco lacunam indicare. Mox Spir. *contentus* pro *contemptus*.

9 Ita Edd. vett. cum Ald., quod cur deseramus nulla causa est. Lipsius *iam* dedit, quod omnes abhinc ad Dronkium usque amplexi sunt.

hic vitia paene [1] in utero matris concipi mihi videantur, histrionalis favor et gladiatorum equorumque studia: quibus occupatus et obsessus animus quantulum loci bonis artibus relinquit? Quotum [2] quemque inveneris, qui domi quidquam aliud loquatur? Quos alios adolescentulorum sermones excipimus, si quando auditoria intravimus? Nec [3] praeceptores quidem ullas crebriores cum auditoribus suis fabulas habent. Colligunt enim discipulos non severitate disciplinae nec ingenii experimento, sed ambitione salutantium [4] et illecebris adulationis. Transeo prima discentium elementa, in quibus et ipsis parum elaboratur: nec in auctoribus cognoscendis, nec in evolvenda antiquitate, nec in notitiam [5] vel rerum vel hominum vel temporum satis operae insumitur: sed exspectantur [6], quos *rhetoras* vocant: quorum professio quando primum in hanc Urbem introducta sit, quamquam nullam apud maiores nostros auctoritatem habuit [7], exstat de curiis *

1 Mavult Freinshemius ad Flor. III, 12, 10 *vitia, quae paene.*

2 Spir. *tum*, quod emendavit Puteolanus.

3 Ex Gronovii coni. recentiores nonnulli *ne*, et ita iam Ald. Sed vide supra notata de *necquidem*. Adde Gernhardum ad Cic. de amic. passim.

4 Ex Acidalii coni. nonnulli *salutationum*, et sic ipse Oberlinus. Mox pro *et* Edd. vett. cum Ald. *sed*, quod Lipsius correxit.

5 Recte Dronkius Edd. vett. et Ald. lectionem *notitiam* revocavit, cuius loco e Pichenae coniectura *notitia* legebatur.

6 Lipsium secuti omnes praeter Seebodium et Dronkium *expetuntur*. Cum duumviris illis antiquam scripturam retinui.

7 Revocavi antiquam Spirensis aliarumque Edd. vett. lectionem, mutatam in *quamque-habuerit*, ut etiam apud Dronkium legitur. Ald. *quamque-habuit*. Verba, quae statim sequuntur, adeo corrupta sunt et mutila, ut negem ea sine melioribus codicibus in integrum restitui posse. De sensu quidem totius loci, quem inserta novi capitis nota pessime diremerunt, dubium non est. Rhetorum enim professio, primum Romae neglecta neque magnae auctoritatis, quando in Urbem introducta sit, quaeque post incrementa ceperit, Messala demonstraturus, necesse esse ait animum ad eam disciplinam referre, qua usi ii oratores sint, quorum infinitus labor ipsorum etiam libris contineatur. Edd. vett. cum Ald. *statim de curiis. referam.* Vetus Lipsii liber eodem modo, sed cum lacunae nota post *de*. Agricola *statim docuero* etc., quod Lipsio haud displicuit, qui vero ipse *habuit, statim decursis his* cum ellipsi dictum maluit. Agricolae coniecturam nonnulli amplexi sunt. Pithoeus *habuit, statim audietis. Referam.* Gronov. Obs. III, 4 *habuerit, statim dicturus, referam,* quod multi recentiores suscepe-

Cap. XXX.

* referam necesse est animum ad eam disciplinam, qua usos esse eos oratores accepimus, quorum infinitus labor et quotidiana meditatio et in omni genere assiduae exercitationes [1] ipsorum etiam continentur [2] libris. Notus est nobis [3] utique Ciceronis liber, qui *Brutus* inscribitur, in cuius extrema parte, (nam prior commemorationem veterum oratorum habet) sua initia, suos gradus, suae eloquentiae velut quamdam educationem refert: se apud Q. Mucium ius civile didicisse; apud Philonem Academicum, apud Diodotum Stoicum omnes philosophiae partes penitus hausisse: neque his doctoribus contentum, quorum ei copia in Urbe contigerat, Achaiam quoque et Asiam peragrasse, ut omnem omnium artium varietatem complecteretur. Itaque hercule in libris Ciceronis deprehendere licet, non geometriae, non musicae, non grammaticae, non denique ullius ingenuae artis scientiam ei defuisse. Ille dialecticae subtilitatem, ille moralis partis utilitatem [4], ille rerum motus causasque cognovit. Ita enim est, optimi viri, ita ex multa [5] eruditione et [6] pluribus artibus et omnium rerum scientia exundat et exuberat illa admirabilis eloquentia: neque oratoris vis et facultas, sicut caeterarum rerum, angustis [7] et brevibus terminis cluditur, sed is est orator, qui de omni quaestione pulchre et ornate et ad persuadendum apte dicere, pro dignitate rerum, ad utilitatem temporum, cum voluptate audientium possit.

runt. Ex Acidalii coniectura Schulzius *habuit, statim dicam. prius referam.* Seebod. ed. alt. *habuerit, exstat in decretis censoriis. Referam* etc. Dronkius *habuerit, statim de curiis* * * *Referam* etc.

1 Cum Dronkio dedi lectionem codd. Vat. Edd. vett. cum Ald. et recentiores *omni genere studiorum exercitationes* (Spir. *exercitationis*).

2 Ante Rhenanum *continetur.*

3 Rhenanus et hinc Ald. et recentiores *vobis. Nobis* cum Seebodio et Dronkio e codd. Vat. et Edd. vett. revocavi.

4 Verba *moralis partis utilitatem* Acidalio et Schurzfleischio suspecta videbantur.

5 Imm. Bekkerus interpunxit: *Ita enim est, optimi viri, ita. Ex multa.*

6 Ante Rhenanum *et.* Ab hoc inde *ex* vulgatum, quod sane praestare videtur. Retinui tamen cum Dronkio *et*, Spirensis aliarumque editionum vett. lectionem. Eidem Rhenano debetur mox *artibus,* cuius loco Edd. vett. *partibus.*

7 Spir. *angustiis,* quod correxit Puteol.

Cap. XXXI.

Haec sibi illi veteres persuaserant[1]; ad hoc efficiendum[2] intelligebant opus esse, non ut in rhetorum scholis[3] declamarent, nec ut fictis, nec ullo modo ad veritatem accedentibus, controversiis linguam modo et vocem exercerent, sed ut his[4] artibus pectus implerent, in quibus de bonis ac malis, de honesto ac turpi, de iusto et iniusto disputatur. Haec enim est oratori[5] subiecta ad dicendum materia. Nam in iudiciis fere de aequitate, in deliberationibus de honestate[6] disserimus, ita ut plerumque haec ipsa invicem misceantur: de quibus copiose et varie et ornate nemo dicere potest, nisi qui cognovit[7] naturam humanam et vim virtutum, pravitatemque vitiorum et intellectum[8] eorum, quae nec in virtutibus neque in vitiis numerantur. Ex his fontibus etiam illa profluunt, ut facilius iram iudicis vel instiget vel leniat, qui scit, quid ira, promptius[9] ad miserationem impellat, qui scit, quid sit misericordia et quibus animi motibus concitetur. In his artibus exercitationibusque versatus[10] orator, sive apud infestos, sive apud cupidos, sive apud invidentes[11], sive apud tristes, sive apud timentes dicendum[12] habuerit, tenebit habenas[13] animorum et, prout cuiusque natura postulabit, adhibe-

1 Bene e codd. Vat. Dronkius. Edd. vett. cum Ald. et recent. *persuadebant.*

2 Ex Edd. vett. et Ald. vulgabatur *ad haec efficienda.* Et Seebodius his praeposuerat copulam *et.* Quod cum Dronkio dedi, duobus Vat. debetur.

3 Edd. vett. cum Ald. *ut rhetorum scholis*, unde Acidalius *ut rhetorum in scholis,* quod plurimi deinceps amplexi sunt. Codd. Vat. *in rhetorum scholis*, omisso *ut:* hinc Brotierius nostram lectionem eruit, a Seebodio et Dronkio pariter receptam.

4 Inserit Spir. praepositionem *in*, quam Puteolanus delevit.

5 Omnes ante Lipsium *oratoris.*

6 Ursino et Mureto locus ita supplendus videbatur, *in deliberationibus de utilitate, in laudationibus de honestate.* Mox pro *dicimus,* quod omnes servant, e codd. Vat. cum Dronkio *disserimus* exhibui.

7 Oberlin. *cognorit.*

8 Schelius et Heumann. *delectum.*

9 Debetur Lipsio. Ante vulgabatur *quid irae promptius.* Concinnius legi *quid ira, ut promptius* putat Dronkius. Mox pro *ad* Edd. vett. cum Ald. *et,* quod Dronkii diligentiam effugit.

10 Edd. vett. *versatur.* Correxit Rhenanus.

11 Verba *sive apud cupidos, sive apud invidentes* in Dronkii edit. exciderunt.

12 Spir. *dicendo.*

13 Codd. Vat. et Spir. *venas* pro *habenas:* hoc rescripsit Puteol. /–

Venas animorum est legendum, nam expressit hanc imaginem ex Cic. de orat. I, 52, 222!

bit manum et temperabit orationem, parato omni instrumento et ad omnem usum reposito. Sunt apud quos[1] adstrictum et collectum et singula statim argumenta concludens dicendi genus plus fidei meretur: apud hos dedisse operam dialecticae proficiet. Alios fusa et aequalis et ex communibus ducta sermonibus[2] oratio magis delectat: ad hos permovendos[3] mutuabimur[4] a Peripateticis aptos et in omnem disputationem paratos iam locos. Dabunt Academici pugnacitatem, Plato altitudinem, Xenophon iucunditatem: ne Epicuri quidem et Metrodori honestas quasdam exclamationes assumere, hisque, prout res poscit[5], uti, alienum erit oratori. Neque enim sapientem informamus, neque Stoicorum civitatem, sed eum, qui non quasdam artes adire, sed omnes[6]

1 Spir. *sunt qui apud quos.* Superfluum *qui* rescidit Puteol. Mox Spir. *fidem.*

2 Egregia est Lipsii scriptura *communibus ducta sensibus,* quam omnes probarunt. Neque negaverim veram ea fortasse lectionem contineri. Edd. Lipsio priores *omnibus* (Ald. tamen iam *communibus*) *ducta sermonibus,* quod quum defendi et explicari possit, interim retinui.

3 Spir. *promovendos.* Repositum Puteolanus.

4 Unus Dronkius e codd. Vat. et Spir. *mutuabimus.* Sed, teste Hessio, Spir. *mutuabimur.* Ut concedamus hanc formam Caecilio, qui teste Nonio v. *mutuare* usus est: elegantioris tamen Latinitatis auctores ea usos esse, demonstrari non potest. Nam quae afferuntur exempla e Senecae Epist. 72 et Val. Maximi III, 4, 2, suspecta sunt propter scripturae varietatem. Accedit Tacitum alibi *mutuari* dixisse. v. Ann. I, 38. Neque aliter Dialogi auctor passim, ut cap. 9. — Quae sequuntur, ad exemplar Seebodii dedi, qui lectionem codd. duorum Vat. exhibuit. Eundemque secutus est Dronkius. Spirensis *aliquid peripateticis: hi aptos et in omnem disputationem paratos iam locos dabunt Academici: pugnacitatem Plato: altitudinem Xenophon* etc. Unde iam Puteolanus: *aliquid a Peripateticis: hi aptos-locos dabunt: Academici pugnacitatem* etc. Hoc amplexus est Rhenanus cum Ald. et reliquis. Lipsio placebat Rud. Agricolae coniectura: *a peripateticis. aptos et in omnem disciplinam paratos iam locos dabunt Academici, Stoici pugnacitatem* etc.

5 Pithoeus maluit *poscet.*

6 Spir., *qui quasdam artes audire, omnes,* quod mutavit Puteolanus in *qui non quasdam artes adire, sed omnes,* optime ad sensum: quem etiam plurimi a Rhenano inde secuti sunt. Et ego cum Dronkio (hic tamen *haurire* pro *adire*) interim in hac lectione acquiescendum putavi. In Aldina tamen servatum *audire,* quod nullo modo ferri potest. Putabam aliquando Spirensis lectionem defendi posse: sed, mutata nunc sententia, durior videtur et praeter causam pressior. Fortasse lenior adhibebitur loco medicina, si modo *non* cum Pu-

liberaliter debet. Ideoque et iuris civilis scientiam veteres oratores comprehendebant, et grammatica, musica et geometria[1] imbuebantur. Incidunt enim causae plurimae quidem ac paene omnes, quibus iuris notitia desideratur, pleraeque[2] autem, in quibus haec quoque scientia[3] requiritur.

Cap. XXXII.

Nec quisquam respondeat, sufficere[4], ut ad tempus simplex quiddam et uniforme[5] doceamur. Primum enim[6] aliter utimur propriis, aliter commodatis: longeque interesse manifestum est, possideat quis, quae profert, an mutuetur. Deinde ipsa multarum artium scientia etiam aliud agentes nos ornat, atque, ubi minime credas, eminet et excellit. Idque non doctus modo et prudens auditor, sed etiam populus intelligit ac statim ita laude prosequitur, ut[7] legitime studuisse, ut per omnes eloquentiae numeros isse, ut[8] denique oratorem

teolano inseramus: *sed* enim, praecedente negatione, facile et ex usu quidem scriptorum intelligi potest. Cf. Wolfii Anal. Litt. III. p. 8. seq. Ernest. ad Tac. Ann. III, 19. Gernh. ad Cic. de amic. 16, 59. p. 126. Oudend. ad Apuleii Met. VIII. p. 562. — Pro *audire* Lipsius malebat *adire* cum Puteol. vel *haurire:* hoc receperunt post alios Seebodius et Dronkius. Mihi *adire* ad veterem scripturam propius accedere visum est. Extremo pro *liberaliter* in libro Veneto legi *liberales* tradit Schurzfleischius.

1 Ante Rhenanum *grammaticae, musicae et geometriae.*

2 Spir. *plerique,* quod correxit Rhenanus.

3 Cum Seebodio Dronkioque Spirensis lectionem suscepi, cuius loco Rhenani correctio *hae quoque scientiae requiruntur* plerumque vulgatur: et ita Ald. Schurzfleischius *harum quoque scientia requiritur.*

4 Ex Gronovii coniectura cum Seebodio et Dronkio dedi, pro vulgata *sufficit,* quae Puteolani correctio fuit pro *sufficeret,* quod Spir. habet. *Sufficit* Rhenan. quoque et Ald.

5 Pro *uniforme* scripserat Puteolanus *informe,* quod Rhenanus cum Ald. aliique amplexi sunt. Restituit illud Lipsius. Mox omnes libri ante Lipsium *doceamus.*

6 Puteol. indeque alii *dutem.* Idem legi in Spir. contendit Dronkius, negante Hessio. A Rhenano inde ab omnibus *enim* vulgatum.

7 Spir. et Puteol. *aut.* Spir. mox *esse* pro *isse,* quod restituit Puteol.

8 Ante Rhenanum *et ut,* languente oratione. *Ut* ubi ter iteratur, ultimo loco copulam respuit. Cic. Acad. II, 16, 50 *quomodo autem sumis, ut si quid cui simile esse possit, sequatur, ut etiam internosci difficiliter possit? deinde, ut ne internosci quidem? postremo, ut eadem sint.* Aliud est, ubi *ut* bis ponitur, ut in Cic. de legg. I, 19, 50 *vere-*

etiam[1] fateatur: quem non posse aliter exsistere nec exstitisse umquam confirmo nisi eum, qui, tamquam in aciem omnibus armis instructus, sic[2] in forum omnibus artibus armatus exierit; quod adeo negligitur[3] ab horum temporum[4] disertis, ut in actionibus eorum faex[5] quoque quotidiani sermonis, foeda ac pudenda vitia deprehendantur; ut ignorent leges, non teneant senatus consulta, ius civitatis ultro derideant: sapientiae vero studium et praecepta prudentium penitus reformident, in paucissimos sensus et angustas sententias detrudant eloquentiam velut expulsam regno suo[6]: ut, quae olim omnium artium domina[7] pulcherrimo comitatu pectora implebat, nunc circumcisa et amputata, sine apparatu, sine honore, paene dixerim sine ingenuitate, quasi una ex sordissimis artificiis discatur. Ego[8] hanc primam et praecipuam causam arbitror[9], cur tantum ab eloquentia antiquorum oratorum recesserimus. Si testes desiderantur, quos potiores nominabo quam apud Graecos Demosthenem? quem studiosissimum Platonis auditorem

cundi sunt, ut bene audiant et ut rumorem bonum colligant. Noli vero copulae usum defendere ex Plauti Amph. prol. init.

1 Pro *etiam* Muretus *esse*. Hinc Schulz. *ut denique oratorem esse eum fateatur*.

2 Ante Rhenanum Edd. *instructus sit, in forum*.

3 Spir. *negligere*, quod mutavit Puteolanus.

4 Correxit Rhenanus. Antea *ipsorum* pro *temporum*.

5 Debetur Rhenano, *fex* scribenti, quod Dronkius in *faex* mutavit: hoc enim modo vocem ex antiquis monumentis scribendam esse narrat. Quae monumenta illa sint, ignoro; eandem tamen scripturam commendat Priscianus et Apuleius de diphthongis 17. p. 137, ubi vide a nobis annotata. Sed plures ob causas recepta a plurimis Rhenani lectio displicet. Codd Vat. et Edd. vett. ante Rhenan. *vis*. Coniecturarum, quae de hoc loco sanando a V. D. allatae sunt, omnium Schulziana praestare videtur: *ut in actionibus eorum vitia quoque* [nisi malles *quaeque*] *quotidiani sermonis foeda ac pudenda deprehendantur*.

6 *Suo* primus Rhenanus expunxit: hinc in Ald. omittitur. Restituit Lipsius.

7 Ita Puteolanus. Spir. *dicunt*.

8 Ex uno Vat. Brotierius et Bipont. dederunt, quos cum Dronkio sequi placuit. Neque aliter iam Rhenan. et Ald. In Spir. *ergo*, quod plerique susceperunt. Et sane difficillimum saepe est iudicatu, utrum *ego*, an *ergo* a scriptore aliquo profectum dicas: utrumque enim vocabulum constat in MS. sexcenties fere inter se commutari.

9 Spir. *arbitratur*, quod Puteolanus correxit. An forte olim scriptum fuit *arbitratus sum?* Mox in Spir. pro *cur* legi *cum* refert Dronkius: Hessius nihil annotavit.

fuisse, memoriae proditum est. Et Cicero his, ut opinor, refert [1] verbis: *quidquid in eloquentia effecerit, id se non rhetorum, sed Academiae spatiis* [2] *consecutum.* Sunt aliae causae magnae et graves, quas [3] vobis aperiri aequum est, quoniam quidem ego iam meum munus explevi, et, quod [4] in consuetudine est, satis multos offendi: quos [5], si forte hoc audirent, certum habeo, dicturos, me, dum iuris et philosophiae scientiam tamquam oratori necessariam laudo, ineptiis meis plausisse [6].

Cap. XXXIII.

Et Maternus: Mihi quidem, inquit, susceptum a te munus adeo peregisse nondum videris, ut incohasse [7] tantum, et velut vestigia ac lineamenta quaedam ostendisse videaris. Nam quibus instrui veteres oratores soliti sunt [8], dixisti differentiamque nostrae desidiae et inscientiae [9] adversus acerrima et fecundissima eorum studia demonstrasti: caetera exspecto, ut, quemadmodum ex te didici [10], quid aut illi scirent [11] aut nos nesciamus, ita hoc quoque cognoscam, quibus exercitationibus

1 *Refert* abest ab Edd. vett. cum Ald. Restituerunt e codd. Vat. Brotierius et Oberl., quos Dronkius secutus est. Non opus esse illa voce in hoc scriptore indicavit F. A. Wolfius. Olim, quum *refert*, vel tale quidquam desideraretur, ex Mureti et Ursini coni. post *effecerit* inserebatur *ait*. Caeterum Ciceronis verba paullo aliter leguntur Orator. 3, 12 *et fateor, me oratorem, si modo sim, aut etiam quicumque sim, non ex rhetorum officinis, sed ex Academiae spatiis exstitisse.*

2 Ante Rhenanum vulgabatur *spatia:* ille *spatio* dedit, et sic Ald. *Spatiis* tandem Lipsio debetur.

3 Praepositio *a*, quae in Ald. et reliquis editionibus legitur, inserta est a Rhenano. Sustulit eam auctoritate codd Vat. et Edd. vett. Dronkius.

4 *Mihi* a Lipsio inde, qui primus post *quod* addidit, in omnibus editionibus retinetur; Tyrwhitto duce delevit Dronkius.

5 Ex Puteolani correctione omnes praeter Pithoeum *qui.* Hunc pro *quod,* quod in Spir. legitur, *quos* emendantem bene secutus est Dronkius.

6 Edd. vett. cum Ald. *placuisse.* Repositum quis primus dederit, certo haud liquet.

7 Cum Dronkio ex Edd. vett. nonnullis scripsimus. Spir. et Ald. *inchoasse*, et sic vulgo.

8 Revocavit Dronkius. A Rhenano inde vulgatum *sint;* et sic Ald.

9 Debetur Rhenano. Antea *scientiae.*

10 Spir. *dici.*

11 Schurzfl., haud improbante Ernestio, *scierint,*

iuvenes, iam[1] forum ingressuri[2], et confirmare et alere ingenia sua soliti sint. Neque enim[3] arte et scientia, sed longe magis facultate[4] eloquentiam contineri, nec tu, puto, abnues, et hi[5] significare vultu videntur.

Deinde, quum Aper quoque[6] et Secundus idem annuissent, Messala, quasi rursus incipiens: Quoniam initia et semina veteris eloquentiae satis demonstrasse videor[7] docendo, quibus artibus antiqui oratores instituti erudirique soliti sint, persequor[8] nunc exercitationes[9] eorum; quamquam ipsis artibus inest exercitatio, nec quisquam percipere tot reconditas aut[10] tam varias res potest, nisi simul[11] scientiae meditatio, meditationi fa-

1 Edd. vett. cum Ald. *iam et*, quod mutavit Ernestius in *et iam*. Praeeuntibus Schulzio, Oberlin., Dronkio copulam delevimus.

2 Vulgo *ingressi*. Illud ex uno Vat. dedimus cum Schulzio, Oberlin. et Dronkio.

3 Inserit Spir. *dum*, quod bene expunxit Puteolanus. At latere Dronkio videtur vocabulum aliquod in voce *dum*, ut *solum* vel tale quid. Egregia, si quid video, est coniectura *solum*, sive sensum, sive causam corruptelae respicias: ut enim ex *dum* fiat *solum*, nihil fere addi opus est nisi litt. *s*. Exspectasses quidem scriptum *arte sola et scientia:* sed constat *solum* passim adiectivi loco poni. V. Goerenz. ad Cic. Fin. I, 13, 44.

4 In Edd. vett. inseritur copula *et*, quam Rhenanus sustulit, et scribitur *eloquentia*, quod idem Rhenan. correxit. Alii post *et* excidisse quaedam suspicati sunt. Rud. Agricola *facultate et meditatione*, Lipsio applaudente; Tyrwhittus *facultate et usu*, quod probat Dronkius.

5 *Hi* in Edd. vett. ante Rhenanum abesse, tradit Dronkius, de Spirensi tamen ipse dubitans. Hessio autem teste, *hi*, in Spir. servatum, Puteolanus omisit.

6 *Quoque*, quod abest ab Edd. Vett. et Ald. e codd. Vat. revocavit Brotierius.

7 Spir. *videtur*, quod emendavit Puteolanus.

8 Revocavi ex Spir. *persequor*, cuius loco Puteol. *persequar*, quod hinc omnes editiones ad Dronkianam usque occupavit. Non opus correctione. Simile illud Ciceronis II Verr. II, 1 *ante quam de incommodis Siciliae dico, pauca mihi videntur esse de provinciae dignitate dicenda.*

9 E codd. Vat. scripsit Brotierius, quem praeter Schulzium omnes, ni fallor, secuti sunt. Antea *exercitationem*.

10 Quod nunc vulgatur, a Puteolano est. Spir. *tot aut reconditas*.

11 Edd. vett. cum Ald. *nisi ut*, et sic plerumque vulgatum. Frustra vero defendere conatus est Wopkensius l. c. p. 408 exemplis nonnullis, quorum unum sufficit afferre, Plinii Ep. II, 11 *neque enim iam inchoari actio poterat, nisi ut noctis interventu scinderetur*. Desiderantur enim exempla, quibus in altero membro post *nisi ut* novum subiectum infertur. Bene Acidalius particulae *ut* nullum usum hic esse monuit. Quare plerique, quos inter Dron-

cultas, facultati vis [1] eloquentiae accedat: per quae colligitur, eamdem esse rationem et percipiendi, quae proferas, et proferendi, quae perceperis. Sed si cui obscuriora haec videntur, isque scientiam ab exercitatione separat, id certe concedet, instructum et plenum his artibus animum longe paratiorem [2] ad eas exercitationes venturum, quae propriae circa oratoriam [3] videntur.

Cap. XXXIV.

Ergo apud maiores nostros iuvenis ille, qui foro et eloquentiae parabatur, imbutus iam domestica disciplina, refertus honestis studiis, deducebatur [4] a patre vel a propinquis ad eum oratorem, qui principem in civitate locum obtinebat [5]. Hunc sectari, hunc prosequi, huius omnibus dictionibus interesse sive [6] in iudiciis sive in concionibus adsuescebat, ita ut altercationes quoque excipere et iurgiis interesse [7], utque sic dixerim, pugnare in proelio disceret [8]. Magnus ex hoc usus, multum constantiae, plurimum iudicii iuvenibus statim contingebat, in media luce studentibus atque inter ipsa discrimina, ubi nemo impune stulte aliquid aut contrarie dicit, quo minus [9] et iudex respuat et adversarius exprobret, ipsi denique advocati aspernentur. Igitur vera statim et in-

kius est, prorsus delerunt. Huetius *nisi et* legendum proposuit. Quod ego dedi, ex coniectura est, meo quidem iudicio, probabili et facili: scriptum enim olim in codice cogita *nisimul*, unde facile *nisi ut* nasci potuit. Meliora proferenti illico cedam.

1 Ex Acidalii coni. Schulzius *usus* pro *vis*.

2 Ante Lipsium *paratum*.

3 Ex Puteolani correctione. Spir. *oratorium*. Recepi illam lectionem cum aliis multis non quod optimam putem, sed quod omnium lenissima medicina loci affecti esse videatur. Ex Ernestii coniectura cum aliis Dronkius edidit *propriae curae oratorum*. Alia alii commenti sunt. Omnium fortasse optimum *quae propriae oratorum videntur*, ut Brotierius coniecit.

4 Spir. *deducebitur*.

5 Cum Dronkio aliisque codd. Vat. lectionem dedi. Spir., Ald. plurimaeque Edd. vett. et rec. *principem locum in civitate tenebat*.

6 Verba *sive in iudiciis - interesse*, in prioribus editionibus omissa, primus Lipsius inseruit e cod. Farnes.

7 Imm. Bekker. *interesset* et paullo ante *exciperet*. Mox pro *atque* Spir. *ut quae*, quod correxit Puteolanus.

8 Edd. nonnullae *discere*. Vulgatum iam Spir. Illud Ald.

9 Restituit Lipsius ex Spir. A Puteolano inde *minus* omittebatur. In Ald. pariter excidit, insuper scripto *quod* pro *quo*.

corrupta eloquentia imbuebantur, et quamquam unum sequerentur, tamen omnes eiusdem aetatis patronos in plurimis et causis et iudiciis cognoscebant, habebantque ipsius populi diversissimarum aurium copiam, ex qua facile deprehenderent [1], quid in quoque vel probaretur vel displiceret. Ita nec praeceptor deerat optimus quidem et electissimus, qui faciem eloquentiae, non imaginem praestaret; nec adversarii et aemuli, ferro, non rudibus [2] dimicantes: sed [3] auditorium semper plenum, semper novum, ex invidis et faventibus, ut nec bene [4] dicta dissimularentur. Scitis enim magnam illam et duraturam eloquentiae famam non minus in diversis subselliis parari quam suis: quin immo constantius surgere ibi, fidelius corroborari. Atque hercule sub eiusmodi praeceptoribus [5] iuvenis ille, de quo loquimur, oratorum discipulus, fori auditor, sectator iudiciorum, eruditus et assuefactus alienis experimentis, cui quotidie audienti notae leges, non novi iudicum vultus, frequens in oculis consuetudo concionum, saepe cognitae populi aures, sive accusationem susceperat, sive defensionem, solus statim et unus cuicumque [6] causae par erat. Nonodecimo aetatis anno L. Crassus C. Carbonem, uno et vigesimo [7]

1 Ita e codd. Vat. cum aliis multis Dronkius. Spir. *deprehendentur.* Reliquae Edd. vett. cum Ald. *deprehendebatur*, quod Puteolano debetur. Spirensi autem duce suspicari possis *deprehenderetur*, cui codd. Vat. lectio haud magnopere adversatur.

2 Lipsii est emendatio. Edd. priores omnes *sudibus*, quod cum Schelio Seebodius retinuit.

3 Cum Schelio Schulz. *et.*

4 Rud. Agricola *nec bene nec male.*

5 Ita nunc e codd. Vat. scribitur. Edd. vett. cum Ald. *praeceptionibus.* Paullo ante Ald. vitiose *subsellii.*

6 Edd. vett. cum Ald. *statim unicuique.* Quod nunc vulgatur, dedit Lipsius, codicem, ut videtur, secutus.

7 Mendum in his verbis inesse, haud pauci annotarunt, hosque inter Wesselingius quoque in Observ. II, 18. p. 222. Ex certa enim temporum computatione Dolabellam Caesar annum vigesimum tertium vel vigesimum quartum agens accusavit. Quapropter Pichena *tertio et vicesimo* scribendum suasit. Hoc autem fieri non potest, si quidem totius loci ordo perturbatus non est: nam apparet Tacitum in afferendis exemplis a minori numero ad maiorem assurgere. At fortasse ordo commatum haud integer est, quem restitueris, si verba *uno et vigesimo Caesar Dolabellam* loco moveas, atque mutato *tertio* vel *quarto*, inseras post *Catonem*; quae commatum singulorum confusio nostro loco, quo similes dictiones iterantur, non miranda esset. Neque difficile est ex *UNO* efficere *tertio*, quum illud *IIIo* vel *IIIIo* in an-

Caesar Dolabellam [1], altero et vigesimo Asinius Pollio Catonem [2], non multo aetate [3] antecedens Calvus Vatinium, iis orationibus insecuti sunt, quas hodie [4] cum admiratione legimus.

Cap. XXXV.

At nunc adolescentuli nostri deducuntur in scenas [5] scholasticorum, qui *rhetores* vocantur: quos paullo ante Ciceronis tempora extitisse, nec placuisse maioribus nostris, ex eo manifestum est, quod, Crasso [6] et Domitio Censoribus, cludere, ut ait Cicero [7], *ludum impudentiae* iussi sunt. Sed, ut dicere instituëram, deducuntur [8] in scholas, quibus [9], non facile dixerim, utrumne locus ipse [10], an condiscipuli, an genus studiorum plus mali ingeniis afferant. Nam in loco nihil reverentiae

tiquo exemplari scriptum cogitas, sicuti *XXsimus* pro *vigesimus* olim scribebatur, ut annotavi in *Allgem. Schulzeit.* 1828. No. 54. p. 446. Tamen ita ab auctore scriptum esse mihi non persuadeo propterea quod *altero* Latine dici posse non arbitror, nisi *uno* antecedat.

1 Plerique *Dolabellam*, et sic Ald. *Dolabellam* priores editiones, quas secutus est Dronkius laudato Drakenb. ad Liv. Epit. CXIX. Ego malui certissimam numorum auctoritatem sequi, in quibus DOLABELLA passim exstat: v. Raschii Lex. rei num. h. v. et Eckhel. Doctr. num. T. IV. p. 139. 140. Et haec scriptura passim exstat apud Tacitum. Alteram formam in numo adhuc non reperi. In lapidibus nomen non legi.

2 Praeposuit Lipsius praenominis notam *C*, quod plurimi susceperunt. Abest ab editionibus prioribus.

3 Ita Rhenanus in Castig. Nunc ita vulgatur. Edd. vett. cum Ald. *aetatem*.

4 Ita Edd. vett. Recte fortasse Rhenanus, quem cum Ald. plurimi secuti sunt, *hodieque*. Ita noster alibi: v. Germ. 8. Ex uno Vat. Dronkius post *hodie* inseruit *quoque*.

5 Edd. vett. ante Rhenanum *scena* (Puteol. *scaena*, de qua scriptura v. ad Apuleium Gramm. p. 123.)

6 Praenomen *Marco*, quod nomini *Crasso* in Edd. vett. et Ald. praeponitur, cum Schurzfleischio, Heumanno et Dronkio delevi. Eius loco e Pithoei sententia multi *L.*

7 De Orat. III, 24, 93.

8 Ita cum aliis, Ernestio praeeunte, e codd. Vat. edidi. Edd. vett. cum Ald. *deducimur*, quod servavit Seebodius.

9 Praepositionem *in*, quae ab Edd. vett. et Ald. abest, ut necessariam cum aliis recentioribus editoribus Dronkius v. *quibus* praeposuit: sine causa, puto, iusta. Passim omittitur a Nostro, ubi desideraveris. Ann. IV, 46 *contusis Thracum gentibus, qui montium editis, inculti, atque eo ferocius agitabant.* Alia exempla cumulat Wopkens. l. c. p. 402.

10 Puteolani emendatio. Spir. *iste*.

sed[1] in quem nemo nisi aeque imperitus[2] intrat. In condiscipulis nihil profectus, quum pueri inter pueros, et adolescentuli inter[3] adolescentulos, pari securitate et[4] dicant et audiantur. Ipsae vero exercitationes magna ex parte contrariae. Nempe enim duo genera materiarum apud rhetoras[5] tractantur, suasoriae et controversiae. Ex[6] iis suasoriae quidem, [etsi][7] tamquam plane leviores et minus prudentiae exigentes, pueris delegantur; controversiae robustioribus assignantur, quales pro[8] fidem, et quam incredibiliter compositae! Sequitur autem, ut materiae abhorrenti a veritate declamatio quoque[9] adhibeatur. Sic fit, ut tyrannicidarum[10] praemia, aut vitiatarum electiones, aut pestilentiae remedia, aut

1 Acidalius *scilicet*, Ernestius vocem expungi voluit. Seebod. et. Vulgatam bene retinuit Dronkius.

2 Sic e codd. Vat. scriptum. Antea mutato ordine *imperitus aeque*, quod repetiit Seebodius.

3 Edd. vett. *in*. Ex Lipsii coniectura nunc vulgatur *inter*. Sed hoc iam exhibet Ald.

4 Copulam e codd. Vat. primus addidit Ernestius.

5 Sic Edd. vett. cum Ald. et servavit Dronkius. Ex Lipsii mutatione vulgo editum *rhetores*.

6 Ab hoc vocabulo quae hodie vulgantur usque ad *controversiae* primus addidit Lipsius e cod. Farnes.

7 *Etsi*, quod cum Seebodio cancellis seclusi, si abesset non desideraretur. Et plurimi deleverunt. Dronkio, qui tamen interim vocem retinuit, videtur *etsi* corruptum ex *acsi*, quod scriba pro *tamquam* apposuerit. Schurzfleisch. coniiciebat *ac si plane*, omissa voce *tamquam*. Nemini placiturum auguror id quod Schneiderus l. c. p. 12 suspicatus est, pro *etsi* legendum *sibi*, idque ad *exigentes* referendum esse.

8 Edd. vett. cum Ald. *perfidiae*, in quo Lipsius sagaciter vidit *per fidem* latere, quod plurimi, inter quos Seebodius et Dronkius, suscepere. Bipont. *praeter fidem*. Groslot. *super fidem*. Sed phrasis *per fidem*, alibi nondum reperta, sine auctoritate est. Quare egregiam Ernestii coniecturam *proh fidem* amplexus, *pro fidem* dedi. Codices manu scriptos qui tractavit, haud ignorat, vocabula vix ulla saepius in MSS. commutata esse quam particulas *pro*, *per*, *prae*. Nempe res nobis est, non cum *proh*, sed cum *pro*, quae genuina vocis scriptura in hac formula est, ut alii iam viderunt. V. Cellarii Orthogr. Lat. T. I. p. 102. 324. ed. Harles. Ellipsis vero est in formula usu recepta: plene enim dicitur *pro deum atque hominum fidem*, ut passim legitur.

9 Acidalius excidisse putat *par* vel *similis* vel *talis*: Schurzfleischius in *quoque* latere suspicatus est *aequa*. Locum optima explicatione defendit Schulzius, eodemque modo vindicandum censuit Schneider. l. c.

10 Spir. *tyrannidarum*, quod Puteolanus correxit. Idem mox *persequantur* restituit pro *persequuntur*.

tricesta matrum, aut quidquid in schola quotidie agitur, in foro vel raro vel numquam, ingentibus verbis persequantur: quum ad veros iudices ventum est [1],

* * *

* * rem cogitare, nihil humile, nihil abiectum eloqui poterat.

1 Lacunam hic esse, iam olim animadversum est. In cod. Farnes. et Vat. uno annotatum *hic multum deficit;* in margine alius Vat. *hic desunt sex pagellae.* In Spir. et Puteol. lacunae nota deest, quam primus signavit Beroaldus. Quantum id fuerit, quod excidit, nemo accurate demonstrare poterit. At iure quaeritur de nexu sententiarum; quaeritur de personis sequentia loquentium, utrum quae proxime sequantur, ex ore Messalae proferantur, an forte Messalae orationem nunc Iulius Secundus excipiat, quem post Messalam oraturum, supra praedictum est. Et Secundi orationem inter Messalae et Materni partes interiisse, nonnulli statuerunt, ut Cromius in *Magazin für öffentliche Schulen,* I. p. 43. 57. Miror a Dronkio hunc locum praetermissum esse inindicatum. Optime vero de hoc loco nuper meritus est V. Bekkerus, quo nemo melius rem explicuit, in Seebodii *Archiv für Philologie,* 1825. fasc. 1. p. 71 seq. Summa sententiae eius, quae diligenti enunciationum descriptione nititur, haec est: Petente Materno, Messala a cap. 33 ad alteram causam neglectae et corruptae apud Romanos eloquentiae pergit, quam in rhetorum scholis quaerendam existimat. Ab hominibus hac ratione institutis et exercitatis, quum in forum et iudicia et ad causas publicas agendas transirent, nihil magnum et egregium esse exspectandum. Hic Messalae abrumpi subito sermonem patet. Cap. 16 Maternus promiserat, se et Secundum eas quaestionis partes, quas Messala reliquerit, executuros esse: quum igitur Maternus omnem disputationem sua oratione (cap. 42) concludat, Secundi verba antecessisse necesse est. Secundus vero, orator laudatus, ut qui potius Messalae orationem excipere valebat quam Maternus, qui forum iudiciaque cum poetica commutarat, optime et solus ad totam litem componendam aptus erat, illas rationes proferendo, quae magnae veteris illius eloquentiae damnum bonis aliis compensantes solatio esse possent. Corruptae igitur eloquentiae Secundus causas affert tres: primum maiorem antiquis temporibus materiam eloquentiae; deinde maiora oratorum praemia; meliorem denique formam et conditionem iudiciorum, in quibus tunc nulli adhuc freni eloquentiae impositi erant. Postremae vero disputationis huius magna pars rursus periit: nam in lacuna post verba *faces admovebant* cap. 39 statuenda, qua sermo a Secundo ad Maternum transiit, hic argumentum illud callide excipiens demonstrat, summa illa eloquentia antiquorum, utpote licentiae alumna, in civitate bene ordinata institutaque opus minime esse, quum sapientissimus et unus de negotiis omnibus deliberet salutique civium prospiciat. Ha-

Cap. XXXVI.

Magna eloquentia, sicut flamma, materia alitur et motibus excitatur et urendo clarescit. Eadem ratio in nostra quoque civitate antiquorum eloquentiam provexit[1]. Nam etsi horum quoque temporum oratores[2] ea consecuti sunt, quae, composita et quieta et beata re publica, tribui[3] fas erat: tamen illa[4] perturbatione ac licentia pleraque[5] sibi assequi videbantur, quum, mixtis omnibus, et moderatore uno carentibus, tantum quisque orator saperet, quantum erranti populo persuaderi poterat. Hinc leges assiduae et[6] populare nomen, hinc conciones magistratuum[7] paene pernoctantium in rostris, hinc accusationes potentium reorum et assignatae etiam domibus inimicitiae, hinc procerum factiones[8] et assidua senatus[9] adversus plebem certamina. Quae singula[10] etsi distrahebant rem publicam[11], exercebant tamen illorum temporum eloquentiam, et magnis[12] cumulare praemiis videbantur, quia, quanto quisque plus dicendo poterat,

ctenus Bekkerus, cuius sententiae plane subscribo, in his a Dronkio discedens, qui alteram illam lacunam non agnoscit. Caeterum in lacuna illa altera indaganda viro sagacissimo præivit Heumannus.

1 Ante Lipsium *pervexit*.

2 Schurzfleisch. malebat *rhetores*.

3 Debetur rursus Lipsio, ante quem vulgabatur *imbui*. Mox haud intellecta loci ratione Schulting. *fas non erat*.

4 Cum Dronkio e codd. Vat. scripsi. Vulgo *ista*.

5 Ex Lipsii correctione vulgabatur *plura*. Vett. Edd. et Ald. lectionem *pleraque* restituit Seebodius, quem cum Dronkio secutus sum.

6 Casu in aliquot editionibus, quas inter est Ald., copula excidit.

7 Ita ex libro suo Lipsius. Antea *migrantium*, quam lectionem ut stabilirent, scribendo *ac paene etiam magis* nonnulli deturparunt. Atque illud deberi videtur Rhenano, unde in Ald. transiit. Mox *reorum* est Puteolani scriptura: Spir. *rerum*.

8 *Factiones*, quod ab omnibus Edd. vett. abest, primus Lipsius inseruit, si e codice, bene: sin minus, in vulgata permanendum.

9 Debetur Rhenano, ante quem vulgabatur *senectutis*.

10 Impingo in vocabulo *singula*, quod aut plane otiosum, aut alienum dixerim. In promptu est lenissima mutatione scribere *quae simultates si distrahebant*.

11 Plerumque una voce *rempublicam* vulgatur. Separatim autem *res publica* scribendum esse, monuerat Maius ad Cic. Rep. I, 3. Firmat Cicero de Off. I, 45, 3 *ne res quidem publica*. Adde II, 8, 14 et lapidem in Münteri *Nachrichten von Neapel und Sicilien*, p. 71, ubi REI PUBLICAE ita legitur inscriptum, ut REI clausulam versus faciat.

12 Ante Lipsium *magis*.

tanto facilius honores assequebatur, tanto magis in ipsis honoribus collegas suos anteibat, tanto plus [1] apud principes gratiae, plus auctoritatis apud patres, plus notitiae ac nominis apud plebem parabat [2]. Hi clientelis etiam exterarum nationum redundabant: hos ituri in provincias magistratus reverebantur, hos reversuri [3] colebant: hi et praeturae et consulatui vacare [4] ultro videbantur: hi ne privati quidem sine potestate erant, quum et populum et senatum consilio et auctoritate regerent. Quin immo sibi ipsi persuaserant, neminem sine eloquentia aut assequi posse in civitate aut tueri conspicuum et eminentem locum. Nec mirum, quum etiam inviti ad populum producerentur: quum parum esset, in senatu breviter censere, nisi qui [5] ingenio et eloquentia sententiam suam tueretur: quum, in aliquam invidiam aut crimen vocati, sua voce respondendum haberent: quum testimonia quoque in publicis . . . [6] non absentes, nec per tabellam dare, sed coram et praesentes dicere cogerentur [7]. Ita ad summa eloquentiae praemia magna etiam necessitas accedebat et commoda. Disertum haberi, pulchrum et gloriosum, sed [8] contra mutum et elinguem videri, deforme habebatur.

1 Debetur Puteolano. Spir. *anteibant. Cato plus.*

2 Ita Lipsius coniecit et receperunt omnes post eum. Olim vulgabatur ab omnibus *probabat.*

3 Revocavi lectionem Edd. vett. omnium. Non opus enim videtur cum Lipsio *reversi* scribere, quod a Lipsio inde ad Dronkium usque editores omnes amplexi sunt.

4 Rursus dedi veterem lectionem omnium editionum a Lipsio primum mutatam. Huius enim ingenio debetur, quod plerumque vulgatum: *hos et praeturae et consulatus vocare.* Quam lectionem Dronkius quoque edendam curavit, in nota prudenter monens, alteram illam fortasse sinceram esse, modo explices: „per se videbantur destinati esse praeturis et consulatui."

5 Pronomen expungendum et *tuerentur* scribendum censebat Ernestius. Posterius fortasse recte. Alii scripserunt *quis* et mox *tueretur.* Hoc enim Edd. vett. et Ald. tenent, et revocavit Dronkius, servata lectione *qui.*

6 Excidisse aliquid, in confesso est. Agricola supplet *iudiciis,* quod arrisit Lipsio. Cum Bipontino Schulzius inseruit *caussis.* Heumannus *testimonia quoque in iudiciis non absentes.* In Edd. vett. et Ald. vestigium lacunae non reperitur.

7 Debetur Puteolano. In Spirensi legitur *coegerunt* teste Hessio, *coegerant*, teste Dronkio.

8 Servavi veterum editionum lectionem sensu iusto haud carentem, quamquam haud nego, eam scripturam, quae nunc vulgetur, elegantiae nomine praestare. Vulgatur enim: *necessitas*

Cap. XXXVII.

Minus [1] rubore quam praemiis stimulabantur [2], ne clientulorum [3] loco potius quam patronorum numerarentur: ne traditae a maioribus necessitudines ad alios transirent [4]: ne tamquam inertes et non suffecturi honoribus, aut non impetrarent, aut impetratos male tuerentur. Nescio, an venerint in manus vestras [5] haec vetera, quae et in antiquorum [6] bibliothecis adhuc manent, et cum [7] maxime a Muciano [8] contrahuntur [9]; ac [10]

accedebat; et quomodo disertum haberi, p. et gl., sic contra etc., quod debetur partim Acidalio, qui *quomodo,* partim Schurzfleischio et Heumanno, qui *sic* scripserunt.

1 Acquievi interim in lectione Spirensis, quam primum Puteolanus ita mutavit, ut *non* voci *minus* praeponeret: quod paene necessarium videtur, et sic in editionibus vett. plerumque post Puteolanum vulgatur. Arbitraria vero est Lipsii scriptura *Ergo non minus,* quae non codici ms. sed ingenii lusui debetur. Nihilo tamen secius hanc Lipsii lectionem recentiores ad Dronkium usque probarunt. Ad verba a me recepta, quae artissime cum antecedentibus cohaerent, mente supplendum *tamen* vel *vero.* Non tamen negaverim, ante *minus rubore* aliquid fortasse excidisse.

2 Ante Rhenanum vulgabatur *stipulabantur.*

3 Ita ex Beroaldi vel Alciati coniectura nunc vulgatur. Spir. et Puteol. *clientularum,* unde Ernestius *clientelarum,* quod nonnulli probarunt.

4 Debetur Lipsio. Codd. Vat. et Edd. vett. cum Ald. *transissent.*

5 Ante Rhenanum *nostras.*

6 Cod. Vat. unus *quae et in antiquorum,* quod susceperunt Brotierius et Schulz. Alius Vat. *quae in antiquorum,* Ernestio et Oberlino probatum: idem Heumannus coniectando assecutus erat. Edd. vett. cum Ald. *quae et antiquorum* Schurzfleischius pro *antiquorum* dedit *antiquariorum,* quod arripientes Seebodius ed. alt. *quae et in antiquariorum,* Dronkius *quae in antiq.* exhibuerunt. Hic addit in nota *„antiquos* qui sint non intelligo." Sunt vero ii, quorum aetas ad priora illa tempora, quibus oratores illi laudatissimi inclaruerunt, vergebat ac paene contingebat.

7 Ex Spir. *cum* aliis Dronkius scripsit. A Puteolano inde multae editiones cum Ald. *nunc,* quod servavit Seebodius.

8 Spir. *in Mutiano.* Correxit Puteolanus. Intelligi Mucianum illum, qui Vespasiano imp. homo Romae potentissimus fuit, vidit Schulzius. Apud Tacitum passim mentio eius fit. Cf. Sueton. Vesp. 6. 13. Ex nostro autem loco patere videtur, libros Mucianum composuisse in formam encyclopaediae vel chrestomathiae, ut nunc loqui solent, nempe ex veteribus varii generis scriptis contractos vel excerptos: quod luculenter confirmatur Plinii auctoritate, qui eius testimonio frequenter atque ita quidem in H. N. utitur, ut certo colligas, res admodum varias easque plane diversi argumenti in scriptis eius tractatas fuisse. Caeterum plenum huius viri consularis nomen fuit M. Licinius Crassus Mucianus.

9 Heumann. *protrahuntur.*

10 Spir. *at.* Ac dedit Puteolan-

iam undecim, ut opinor, Actorum libris et tribus Epistolarum composita et edita sunt. Ex his intelligi potest, Cn. Pompeium et Marcum Crassum non viribus modo et armis, sed ingenio quoque et oratione valuisse: Lentulos et Metellos et Lucullos et Curiones et caeteram procerum manum multum in his studiis operae curaeque posuisse, nec quemquam illis temporibus magnam potentiam sine eloquentia consecutum. His accedebat splendor reorum [1] et magnitudo causarum, quae et ipsa plurimum eloquentiae praestant. Nam multum interest, utrumne de furto, aut formula et interdicto dicendum habeas, an de ambitu comitiorum, expilatis sociis et civibus [2] trucidatis. Quae mala sicut non accidere melius est, isque optimus civitatis status habendus est, in [3] quo nihil tale patimur: ita quum acciderent, ingentem eloquentiae materiam subministrabant. Crescit enim cum amplitudine rerum vis ingenii, nec quisquam claram et illustrem orationem efficere potest, nisi qui causam parem invenit. Non, opinor, Demosthenem orationes illustrant, quas adversus tutores suos composuit: nec Ciceronem magnum oratorem P. Quintius [4] defensus aut Licinius Archias poeta [5] faciunt: Catilina et Milo et Verres et Antonius hanc illi famam circumdederunt, non, quia tanti fuit rei publicae [6], malos ferre cives, ut uberem ad dicendum materiam oratores haberent, sed, ut subinde admoneo, quaestionis meminerimus sciamusque, nos de ea re loqui, quae facilius turbidis et inquietis temporibus exstitit [7]. Quis ignorat, utilius ac melius esse,

1 Recte suscepit Seebodius e codd. Vat., quem cum Dronkio secutus sum. Vulgo *rerum:* idem Ald. Mox pro *dicendum*, quod Puteolano debetur, Spir. *dicendi*.

2 Correxit Puteol. Spir. *comitiibus*.

3 Praepositionem Seebodius e codd. Vat. duobus primus restituit, approbante Dronkio.

4 Debetur vulgata Puteolano. Spir. *Quintus*, teste Hessio. Alii *Quinctius*.

5 Ita Edd. vett. cum Ald. *Poeta*, ut glossema, expunxit Lipsius, et fortasse recte. Interim cum Dronkio solo *poeta* intactum reliqui.

6 Cum Heumanno, Seebodio et Dronkio ita scripsi pro *rempublicam*, ut vulgo editur. In Edd. vett. ferri dicitur tralatitio scribendi compendio *R. P.*, unde quemlibet casum efficere eodem iure poteris. Qui quartum edunt, distinguunt *quia tanti fuit, rempublicam malos ferre cives*.

7 Edd. vett. (in Spir. *extitit*) et Ald. lectionem cum Dronkio dedi: vitio tamen operarum in Dronkiana *exsistit* legitur. Lipsium secuti, nonnulli *exsistit*.

frui pace, quam bello vexari? Plures tamen bonos proeliatores bella quam pax ferunt. Similis eloquentiae conditio. Nam quo saepius steterit tamquam in acie, quoque plures et intulerit ictus et exceperit, quo maior adversarius et [1] acrior, quicum [2] pugnas sibi asperas desumpserit, tanto altior et excelsior, et, illis nobilitatus [3] certaminibus [4], more [5] hominum agit, quorum ea natura est, ut secura nolint [6].

Cap. XXXVIII.

Transeo ad formam [7] et consuetudinem veterum iudiciorum, quae etsi nunc aptior est . . ., eloquentiam tamen illud forum [8] magis exercebat, in quo nemo intra

1 Quod Lipsius iam pro *eo* legendum esse vidit, uno cod. Vat. probatum est et post alios suscepit Dronkius, quem secutus sum. Schulz. *et quo acrior. Eo* Edd. vett. cum Ald.

2 Est Lat. Latinii Bibl. T. II. p. 37 coniectura recentioribus praeter Seebodium, qui Edd. vett. et Ald. lectionem *qui* toleravit, probata. Vetus Lipsii liber *per* pro *qui*.

3 Perperam nonnulli *nobilitata*, quippe putantes de eloquentia sermonem esse, quum contra orator intelligendus sit.

4 In *criminibus*, quod Edd. vett. cum Ald. tenent, visum est *certaminibus*, quod proposuit Acidalius, probabilius latere quam *discriminibus*, quod ex Lipsii coniectura multi amplexi sunt et hos inter Dronkius, dum Seebodius Acidalii lectionem expressit.

5 Revocavi Edd. vett. et Ald. lectionem, quam olim coniectando assecutus sum: v. Auctar. Lex. Graec. p. 26. Vulgatur enim ex Lipsii correctione *in ore*, quod cum recentioribus Dronkius repetiit. Sed *in ore alicuius agere* non est, ut volunt, idem quod celebrari, sed coram et in conspectu alicuius agere, ut ipse Lipsius congestis sat multis exemplis demonstravit ad Hist. III, 36, a quo loco afferendo Dronkius plane abstinere debuisset, quoniam quod ibi vulgatur *in ore*, e correctione est pro *more*. Sufficit unum exemplum excerpere e Sallustio: *A prima adolescentia in ore vestro privatus et in magistratibus egi.* Contra *more hominum* recte dici, exemplis monstravi in Auctario. Neque afferenda erat phrasis *in ore esse*, quod sane idem est quod *in sermone esse*. V. Hist. II, 73, quem locum Dronkius attulit. Adde Cic. Lael. I, 2 *in sermonem illum incidere, qui tum fere omnibus erat in ore.* Seneca de ira III, 23 *magis enim circumfertur et in ore hominum est temeraria urbanitas.* Aliud enim *in ore alicuius esse*, aliud *agere*. Caeterum Schneiderus l. c. p. 13. coniiciebat *in morem*, quo non opus videtur.

6 Praeeunte Rhenano cum aliis scripsi pro *velint*, quod in codd. Vat. et Spir. legitur, multosque patronos nactum est. Neque aliter Dronkius. Rud. Agricola supplendum putabat, *ut dubia laudent, secura nolint*, ad sensum optime.

7 Spir. *fortunam*.

8 In Spir. legitur *aptior est ita erit eloquentia: tantum illud forum*, in quibus Rhenanus nihil mutabat nisi *aptior* in *arctior*:

paucissimas horas perorare cogebatur, et liberae comperendinationes erant, et modum dicendi sibi quisque sumebat, et numerus neque dierum neque patronorum cavebatur [1]. Primus . . . . . . cons. Cn. [2] Pompeius adstrinxit, imposuitque veluti frenos eloquentiae, ita tamen, ut omnia in foro, omnia [3] legibus, omnia apud praetores gererentur: apud quos quanto maiora negotia olim exerceri solita sunt [4], quod maius argumentum est, quam quod causae centumvirales, quae nunc primum obtinent locum, adeo splendore aliorum iudiciorum obruebantur, ut neque Ciceronis, neque Caesaris, neque Bruti, neque Coelii, neque Calvi, non denique ullius magni oratoris liber apud centumviros dictus legatur [5], exceptis orationibus Asinii, quae *pro heredibus Urbiniae* [6] inscribuntur, ab ipso tamen Pollione, mediis Divi Augusti temporibus, habitae, postquam longa temporum quies et continuum populi otium et assidua senatus tranquillitas et maximi principis disciplina ipsam quoque eloquentiam, sicut omnia alia, pacaverat.

praeterea scripserat *tanto*, Puteolanum secutus: et ita Ald. E codd. Vat. *tamen illud forum* enotatum, et hoc bene habere, quivis facile videt. Quid vero lateat in *ita erit*, Dii sciunt. Ex Rud. Agricolae coniectura nonnulli *aptior est veritati, eloquentiam tamen*. Muretus *aptior est, at certe eloquentia: tamen illud forum*. Lat. Latinius *quae uti nunc arctior est, ita erit eloquentia. Antea illud forum*. Cum Bipontino Oberlinus *aptior est civitati, eloquentia tamen*. Dronkius denique *aptior est, eloquentiam tamen illud forum*. Mox *horas*, quod sequitur, restituit Puteolanus: in Spir. omittitur.

1 Debetur Puteolano. Spir. *favebatur*. Ex Lipsii correctione vulgabatur *finiebatur*.

2 Ita Spir. et Puteol., nisi quod *Gn.* pro *Cn.* habent Ex Beroaldi vel Alciati coniectura Rhenanus, Ald. aliique *primus tertio consulatu Cn. P.eto.* Aliter alii lacunam explere conati sunt. Agricola *primus huius rei spatia tertio consulatu;* Lipsius *primus huiusce spatia t. c.;* Schurzfleisch. *primus huius spatia t. c.* Nos manum de tabula.

3 Praepositionem *in*, quae in Spir. et Puteol. inseritur, iam olim quidam viderunt delendam esse: et omittitur in Ald. Nunc sublata est ab Ernestio auctoritate codd. Vat.

4 Ex Acidalii coniectura multi *sint*. Revocavit ex Edd. vett. *sunt* Seebodius ed. alt Iam olim defenderat Wopkensius l. c. p. 403. Ibidem paullo ante vitio typothetae *exercere*.

5 Debetur Puteolano. Spir. *legant*.

6 Rescripsit Lipsius ex libro veteri *Uriniae* exhibente et Quintiliano IV, 1, 1. VII, 2, 5. 26. Edd. vett. cum Ald. *Ironiae*. Mox Spir. *inscribantur*, quod correxit Puteolanus.

Cap. XXXIX.

Parvum et ridiculum fortasse videtur[1], quod dicturus sum, dicam tamen, vel ideo, ut rideatur. Quantum humilitatis putamus eloquentiae attulisse paenulas[2] istas, quibus adstricti et velut inclusi cum iudicibus fabulamur? quantum virium detraxisse orationi auditoria et tabularia credimus, in quibus iam fere plurimae causae explicantur? Nam quo modo nobiles equos cursus et spatia probant; sic alius[3] oratorum campus, per quem nisi liberi et soluti ferantur, debilitatur ac frangitur eloquentia. Ipsam quinimmo curam et diligentis[4] stili anxietatem contrariam experimur: quia saepe interrogat iudex, quando incipias[5], et ex interrogatione eius incipiendum est. Frequenter probationibus et testibus silentium patronis indicit[6]. Unus inter haec dicenti et[7] alter assistit, et

1 Praeter Seebodium omnes fere editores praesertim recentiores *videbitur* scripserunt, neque aliter nuper Dronkius. Spir. Puteol. Rhenan. Ald. et alii fortasse veteres editores *videtur*, quod ferri posse putavi. Vide ad cap. 33 *persequor*.

2 Iis, quae de paenulis editores monuerunt, adde Salmasii notata ad Tertulliam de pall. p. 79. seq.

3 Spir. *sic alius*, unde Puteolan. *sic latus*, quod in editionibus Rhenani, Ald. aliisque susceptum est. Lipsius *sic est aliquis*, quod plurimi amplexi sunt. Dronkius *sic aliquis*. Sed abstinendum ab omni mutandi libidine. Nostro loco dicitur: quomodo equis nobilibus, qui probentur, cursus datur, eodem alius (h. e. diversi generis) est oratorum: iam Noster quum *cursus* addere debuisset, verbo hoc propter sequentia misso, campum pro cursu infert.

4 Spir. *diligens*, cuius loco Puteolanus scripsit *diligentem*, quod Rhenanus, Ald. aliique probarunt. Quod nunc editur, e codd. Vat. primus Ernestius recepit.

5 Verba *quando incipias* Schulzius bene explicuit atque ita adversus virorum doctorum commenta importuna defendit.

6 Spir. *patronus: indicit unus*, unde Rhenanus *patronus indicit. Unus* etc. Sic Ald. et alii complures. Ex Schultingii coniectura Schulz. *patrono indicitur*. Oberlin. et Seebod. *patronis indicit*, in qua lectione interim acquiescendum putavi. Dronkius *patronus indicit*. Gravius, quam vulgo putatur, mihi quidem hic locus affectus esse videtur. Quo enim cunque modo locum corrigas et distinguas, non efficitur sensus perspicuus et aptus. Patroni enim non est, probationibus et testibus silentium indicere: neque rursus patroni pro oratoribus, nisi obscuretur sensus, poni possunt. Fortasse latet *perorationi* in *patronus* vel *patronis*, hoc sensu: testibus inferendis iudex oratoribus, quominus perorent, silentium nonnumquam imponit: quo facto orantis eloquentia sane cohibetur et infringitur.

7 Ita cum Dronkio scripsi. Spir. et hinc plurimi *ac*. Bureal-

res velut in solitudine agitur. Oratori autem clamore plausuque opus est et velut quodam theatro: qualia quotidie antiquis oratoribus contingebant, quum tot pariter ac tam nobiles forum coarctarent, quum clientelae[1] quoque ac[2] tribus, municipiorum etiam legationes[3] ac pars Italiae periclitantibus assisteret[4], quum in plerisque iudiciis crederet populus Romanus, sua interesse, quid iudicaretur. Satis constat, C. Cornelium et M. Scaurum et T. Milonem et L. Bestiam et P. Vatinium concursu totius civitatis et accusatos et defensos, ut frigidissimos quoque oratores ipsa certantis populi studia excitare et incendere potuerint. Itaque hercule eiusmodi libri exstant, ut ipsi quoque, qui[5] egerunt, non aliis magis orationibus censeantur.

Cap. XL.

Iam vero conciones assiduae et datum ius[6], potentissimum quemque vexandi, atque ipsa inimicitiarum gloria, quum se plurimi[7] disertorum ne a[8] P. quidem Scipione aut Sulla aut Cn. Pompeio abstinerent[9], et ad incessendos[10] principes viros, ut est natura invidiae, populi etiam histriones auribus uterentur[11] quan-

dum secuti, nonnulli *aut* dederunt. Ernestius *atque*. Ald. *ac*.

1 Spir., teste Dronkio, *cum in clientelae*. Hanc variantem lectionem non notavit Hessius.

2 Revocavit e Spir. Dronkius. Ex Puteolani correctione vulgo *et:* sic Rhenanus quoque et Ald.

3 Ita praeeunte Brotierio e codd. Vat. bene Dronkius scripsit. Spir. et aliae quaedam Edd. vett. *et municipiorum et legationes*, in qua lectione Rhenanus posterius *et* delevit, et sic Ald. et reliqui.

4 Est lectio codd. Vat., quam post Brotierium Dronkius recepit. Spir. *partis It. per. assisceret*, unde Puteolanus *parte-adsisteret*. Ald. et plerique *parte-adsisterent*, quod Rhenano debetur.

5 *Qui* in Spir. et Puteol. omittitur. Quis primum addiderit, accurate haud liquet.

6 Ope codd. Vat. nunc deletum *quoque*, quod ex Edd. vett. et Ald. olim hic addebatur.

7 Teste Dronkio Spir. *plurimum*: de qua discrepantia lectionis tacet Hessius.

8 Praepositionem, quae in Spir. deest, inseruit Puteolanus.

9 Est Acidalii correctio, codd. Vat. auctoritate confirmata. Spir. et Puteol. *abstinuerunt*, unde Rhenan. *abstinuerint:* sic Ald.

10 Debetur Lipsio. Antea *incendendos*.

11 Locus fere conclamatus. *Populi etiam* est Brotierii emendatio, quam cum Dronkio suscepi. In codd. Vat. et Spir. *quoque et*, cui Puteolanus *et* detraxit, et hinc plurimi *populi quoque*. Sed quod statim sequitur *histriones*

tum [1] ardorem ingeniis, quas oratoribus faces admovebant [2]!

* * *

Non [3] de otiosa et quieta re loquimur, et quae probitate et modestia gaudeat: sed est magna illa [4] et notabilis eloquentia, alumna licentiae, quam stulti libertatem vocabant [5], comes seditionum, effrenati populi incitamentum, sine obsequio, sine servitute, contumax, temeraria, arrogans, quae in bene constitutis civitatibus non oritur. Quem enim oratorem Lacedaemonium, quem Cretensem accepimus [6]? quarum civitatum severissima disciplina et severissimae [7] leges traduntur. Nec [8] Macedonum quidem ac Persarum aut [9] ullius gentis, quae certo imperio contenta fuerit [10], eloquentiam novimus. Rhodii quidam, plurimi Athenienses [11] oratores exstite-

auribus, a Spirensi inde per plurimas editiones propagatum, id virorum doctorum acumina magnopere exercitavit. Acidalius *histriones quoque populi auribus*. Scharzfleisch. *populi ceu histriones* etc. Alii histrionibus hic locum dandum negabant. Hinc ex Heumanni coniectura Schulz. et Oberlinus *populi quoque adrectioribus auribus*. Seebodius ed. alt. *populi adstrictis auribus*. Dronkius locum intactum reliquit. Ego non id mihi sumo, ut quid Noster scripserit, invenisse mihi videar: sed id unum ago, ut quid scribere potuerit, aperiam. Tu enim vide, an ita fortasse verba olim composita fuerint: *populi etiam histrionis artibus potirentur*. Sensus satis perspicuus esse videtur. *Histronis* in codice scriptum cogita *histrionis*. *Histrionia* apud Plautum legitur. *Histrionae studiosus* Fronto p. 86 ed. Nieb. Exspectassem sane *histrionalibus*, collatis cap. 26 et 29. *Gentium potiri* dixit Florus I, 1, 18, sensu quamvis paullum diverso. Denique si durior tibi videatur mutatio *potirentur*, velim meminetis in codicibus passim ferripo*terentur*, *poterentur*, monente Forcellino v. *potier*, sub. fin.

1 Spir. *quam tum* pro *quantum*: quod non annotavit Dronkius.

2 De lacuna sequenti v. ad cap. 25.

3 Muretus *non enim*.

4 Edd. vett. cum Ald. *ista*, et sic vulgo. *Illa* debetur codd. Vat.

5 Heumann. *vocant*. Idem mox *fomes* ex Acidalii coniectura pro *comes* scripsit: idem probabat Schulzius.

6 Debetur Lipsio. Antea *accipimus*.

7 Schelium in repetito vocabulo *severissimae* haerentem et *sancitissimae* proponentem iam Wopkensius l. c. p. 404 refutavit.

8 Bene Seebodius ed. alt. revocavit. Ita Edd. vett. cum Ald. Ernestium secuti, nonnulli *ne*. De *nec-quidem* supra dictum est.

9 Rescripsit Ernestius e codd. Vat.; idem iam legendum suaserant Scharzfleischius et Heumannus. Antea *ac*; hoc nuper recepit Imm. Bekkerus.

10 Heumann. *fuit*: frustra, iam monente Wopkensio l. c.

11 Vulgo *Athenienses plurimi*. Transposuit e codd. Vat. Bretio-

runt, apud quos omnia populus, omnia imperiti, omnia, ut sic dixerim, omnes poterant. Nostra quoque civitas, donec erravit, donec se partibus et dissensionibus et discordiis confecit, donec nulla fuit in foro pax, nulla in senatu concordia, nulla in iudiciis moderatio [1], nulla superiorum reverentia, nullus magistratuum modus, tulit sine dubio valentiorem eloquentiam; sicut [2] indomitus ager habet quasdam herbas laetiores. Sed nec tanta [3] rei publicae Gracchorum eloquentia fuit, ut pateretur et leges, nec bonae formam [4] eloquentiae Cicero tali exitu pensavit.

Cap. XLI.

Sic quoque, quod superest antiqui [5] oratoribus, forum non emendatae [6], nec usquam [7] ad votum compositae civitatis argumentum est. Quis enim nos [8] advocat nisi aut nocens, aut miser? quod municipium in civitatem [9] nostram venit, nisi quod aut vicinus populus, aut

rius, quem Dronkius quoque secutus est. Vulgatam servavit Seebodius.

1 Verba *nulla in senatu concordia, nulla in iudiciis moderatio* Lipsius e cod. Farnes. addidit.

2 Aldinae debetur. Idem Dronkius quoque dedit. Spir. *sicuti domitus*, unde Puteolanus *sicuti indomitus*, quod reliqui probarunt.

3 Ex Spir. aliisque Edd. vett. revocavi: neque aliter codd. Vat. Vulgatur ad Dronkiam usque ex Rhenani correctione *tanti:* et sic Ald. Seebodius ed. alt. *tanta*.

4 Ita cum Dronkio scripsi: neque aliter Edd. vett. cum Ald. In cod. Vat uno supra *bonae* scriptum *bene*, quod nonnulli amplexi sunt. Hoc vero alienum esse, iam Langius demonstravit in Comment. de dialogi auctore p. xxvii ed. Dronk. Pro *formam* nonnulli *famam*.

5 Ex Gronovii egregia emendatione Dronkius post alios dedit. Edd. vett. cum Ald. et maxima recentiorum parte *antiquis*, in explicanda et defendenda operam perdiderunt. Cum Brotierio Ernestius *ex antiquis oratoribus*.

6 Ita ex Faerni et Lipsii coniectura. Edd. vett. cum Ald. *emendare*. Fons corruptelae cognoscitur ex Veneta quadam editione Schurzfleischio memorata, in qua *emendate* legi fertur.

7 Revocavi Edd. vett. et Ald. lectionem. *Usquam* enim hoc loco idem est quod *ulla in re*. Vulgo ad Dronkium usque ex Lipsii coniectura *usque*.

8 Edd. vett cum Ald. *argumentum est quidem, quod nemo nos*, sine sensu. Quod nunc vulgatur, sumptum est e cod. Farnes.

9 Pithoeum secuti, paene omnes recentiores *clientelam* scripsere. Ego servavi cum Seebodio lectionem Edd. vett. et Ald. Sicuti provinciam tueri spoliatam vexatamque, haud aptum oratori argumentum putabatur, ut in sequentibus dicitur, ita idem cadit in municipium Ro-

domestica discordia agitat? quam provinciam tuemur, nisi spoliatam vexatamque? Atqui melius fuisset non queri, quam iudicari[1]. Quod si inveniretur aliqua civitas, in qua nemo peccaret, supervacuus esset inter innocentes orator, sicut inter sanos medicus. Quomodo tamen[2] minimum usus minimumque profectus ars medentis habet in his[3] gentibus, quae firmissima valetudine ac[4] saluberrimis corporibus utuntur: sic minor oratorum[5] obscuriorque gloria est inter bonos mores et in obsequium regentis paratos. Quid enim opus est longis in senatu sententiis, quum optimi[6] cito consentiant? Quid multis apud populum concionibus, quum de re publica non imperiti et multi deliberent, sed sapientissimus et unus? Quid voluntariis accusationibus, quum tam raro et tam parce peccetur? Quid invidiosis et excedentibus modum defensionibus, quum clementia cognoscentis obviam periclitantibus eat? Credite, optimi et, in quantum opus est, disertissimi viri, si aut vos prioribus seculis, aut isti, quos miramur, his nati essent, ac deus aliquis vitas vestras, vestra tempora[7] repente mutasset[8]: nec vobis summa illa laus et gloria in eloquentia, neque illis[9] modus et temperamentum defuisset. Nunc, quoniam nemo eodem tempore assequi potest magnam famam et magnam quietem, bono[10] seculi sui quisque citra obtrectationem alterius utatur.

manum aut vicino populo aut domestica discordia agitatum.

1 Antiquam lectionem cum Seebodio Dronkius revocavit. Ex Lipsii coniectura plerique *vindicari*.

2 Pro *tamen* Heumannus malebat *enim*. Mox pro *minimumque* Spir. *nimiumque*.

3 Ald. *iis*. Mox Spir. *valitudine*. V. ad cap. 23.

4 Ald. *et*.

5 In codd. Vat. et Edd. vett. additur *horum*, quod delevit Rhenanus. Videtur ex dittographia ortum.

6 Edd. vett. *optime*. Rhenanus in Castig. proposuit *optimi*, quod nunc vulgatur. Lipsius *optimis* suadebat.

7 Egregia est Rhenani emendatio, quam plurimi probarunt. Spir. *vitas. aut vestra tempora,* unde Puteolanus *vitas, vestra tempora*. Ex Spir. et Rhenani lectione Dronkius conflavit: *vitas vestras aut vestra tempora,* quod displicet: vix enim differunt vitae vestrae et tempora vestra.

8 Spir. *mutuasset*.

9 Revera Spir. *illis*, quod Puteolani errore in *illos* mutatum est. A Rhenano inde revocatum *illis*.

10 Ita cum aliis post Dronkium e codd. Vat. dedi, quamvis singularis *bonum* insolentius positus videatur. Sed tamen Cicero Tusc. V, 23 *bonum mentis*

Cap. XLII.

Finierat Maternus. Tum Messala: Erant, quibus contradicerem; erant, de[1] quibus plura dici vellem, nisi iam dies esset exactus.

Fiet, inquit Maternus, postea arbitratu tuo et, si qua tibi obscura in hoc meo sermone visa sunt, de his rursus conferemus. Ac simul assurgens et Aprum complexus: Ego, inquit, te poetis; Messala, antiquariis[2] criminabimur.

At ego vos[3] rhetoribus et scholasticis, inquit.

Quum arrisissent, discessimus.

est virtus. Ep. ad fam. XV, 14, 4. Pro *bono* Spir. cum aliis editionibus vett. *huius*, quod magis ad *bonis* ducit. *Bonis* enim duce Rhenano Ald. et alii multi receperunt.

1 *De* addidit Rhenanus.

2 Codd. et Spir. *cum antiquariis*. Praepositionem sustulit Puteolanus.

3 Spir., teste Dronkio, *nos*: quam lectionem Hessius non enotavit.

APPENDIX

EDITIONUM PUTEOLANI 1497 (P)

ET

FROBENIANAE BASILEENSIS 1519 (F)

CUM

SEEBODIANA ALTERA COMPARATARUM *).

C. I. deserta et laude orbata P. F.
percunctationi F. percontationi P.
existimandum si idem P. F.
no (pro *non*) ante *possumus* P.
disertissimorum nostris P. F.
iisdemque orationibus persequar P. F.

C. II. quam accuratius P. F.
affectabar F.
in quem satis P. F.
cum eruditione P. F.
sedentem ipsum quem P. F.

C. III. tui aures? P. F.
deprehendisti P. F.
leges tu quidem si volueris et agnosces P. F.
sequenti tractatione P. F.
curarum studiis P. F.
Thiestem P. F.
Catonem. i. nostras P.
aggregares P. F.

C. IV. advocamur quotidianum P. F.
defendens adversus te poetice P. F.
musarum angustiis P. F.

C. V. cognitionibus excusent P. F.
gratia P. F.
praevalere pro *praev.* P.
cum optimum P. F.
possit. et ego P. F.
arbitrium P. F.
inveniri non pot. P. F.
solicite plurimum defendi P. F.
sed et ipsum P. F.
apud eos P. F.
facta nostra P. F.
ultro ferat P. F.
rebus prope fluentibus P. F.
periculum irrepat P. F.
loricae gladius P. F.
eloquentia P. F.
apposuit? P.
qui accinctus P. F.
cum praesertim — arbitror P. F.

C. VI. uno aliove P. F.
officiis alicuius administrandis P. F.
et locupletes venire P. F.
totius orbis P. F.
circumfundi coram P. F.

*) Vide Praefationem.

quacunque orator induxerit P. F.
parva censeo F.
animus attulerit P. F.
nam ingenio P. F.
C. VII. nactus (pro *natus*) P. F.
tum abire. quod si non P. F.
in codicillis P. F.
quid fama P. F.
cuius artis P.
quibus morum et indoles P. F.
transeuntis P. F.
quoque et peregrini P. F.
C. VIII. non minus esse P. F.
illis alterius termilies P. F.
sed habet ut supra P. F.
propria P. F.
non cognoscendo (omittitur v. *auditu*) P. F.
oculis expectanda P. F.
angustia rerum P. F.
Inter *potentissimi* et *ac do-nec* lacuna est in P. F.
patientissimus vir P. F.
niti; quae P. F.
ipsis accumulare P. F.
imagines Attali et stat. P. F.
quam fastidiat P. F.
C. IX. o Materne P. F.
respuant. Crebro est si P. F.
et tibi obligatus P. F.
si amicus (omittitur *eius*) P. F.
si denique aliquis in aliquod P. F.
hi enim Basso P. F.
extulit et lucubravit P. F.
adiutorium P. F.
et post *dispergit* abest a P. F.
recitatione P. F.
percepta P. F.
voluere (pro *volucre*) P.
suum genium propitiare absunt a P. F.
deservanda (pro *deserenda*) P.
lucos. i. in P.
secedendum P. F.
C. X. nec opinio P. F.
mediocris P. F.
penetrat metrum: ut P. F.
et semel P. F.
oratorum ingenium P. F.
fame P.
cothurnum nostrum P. F.
et ante *epigrammatum* abest a P. F.
artem eloquentiae ferat P. F.
maius (pro *mavis*) P.
artis P. F.
ac ante *tibi* abest a P. F.
et ad pugnam P. F.
offendere P. F.
nec accusatur P. F.
hinc ingentis ex his ass. P. F.
C. XI. et intentore remissus P. parat. Quid, enim me P. F.
laudat P. F.
detractaret P. F.
in causis agendis niti fortasse possum: P. F.
et ingredi et efficere famam P. F.
improbam P. F.
Vaticinii potentiam P. F.
et ante *hodie* deest in P. F.
ac me deiungere P. F.
etiam iam me nol. P. F.
statumque cuiusque P. F.
C. XII. ante hostium P. F.
litigatorie P.
haec primum habitu P. F.
criminum impos P. F.
abundat P. F.
defenderent. ne aut illud clamore aut angustiae honor P. F.
deinde quod apud illos P. F.
quam Virgilii detractent P. F.
Messalae P. F.
C. XIII. illos agitent certamina et pericula sua et controversiae: malo P. F.
in quotum P. F.
in hac praesenti fortuna P. F.
an quod timent? P. F.
cum adulatione P. F.
rerum potentia P. F.
Musae remotae P. F.
animum faciente P. F.
C. XIV. instinctus: tum Urbanus Messala P. F.

suspicaturque P.
tempestivis P.
minime in P. semel tantum, in F. bis.
dicebat (pro *decebat*) P.
audenter et poetarum P. F.
me vere P. F.
atque ad ipsum P.
et eruditiones et P. F.
Asiati P.
plurimum eiusmodi P. F.
theorum (pro *rhetor*) P.
C. XV. eloquentiae nostrum hoc tempore P. F.
contendere antiquis eo credis audacius quo malignius. his opinionem non vereberis: P. F.
ipsi tibi P. F.
Eschines et Demostenes sacerdos iste enitet P. F.
contentus P. F.
C. XVI. movistis P. F.
manifestus est P. F.
signatione P. F.
Ulyxes P.
et. CC. annis P. F.
hyperidem percipitis (hoc pro *profertis*) P. F.
quam. CCC. annos P. F.
huius immensi aevi P. F.
nam si sicut P. F.
syderum: quae P.
horum nos vocamus P. F.
annorum XII. DCCCLIIII P. F.
complectuntur P. F.
solum anno quo P. F.
C. XVII. VII. Idus occisus P. F.
sufficit. statutae. VIII et P.
suffecit. statue. VIII et F.
Cai. P. F.
atque unum Galbae P. F.
Vitelli unum annum P. F.
et pugnae P. F.
arma Britanniae P. F.
pertraxisset: et quidem Caesarem ipsum P. F.
auctoribus interesse P. F.
C. XVIII. et horum P. F.
ac laus P. F.
vocaremus P. F.
imitatus esset Calvus P. F.
mutare P. F.
formas et genera P. F.
sicut Catoni P. F.
multum (pro *vultum*) P.
deprendi P. F.
nam non dubitamus P. F.
pro Catone P. F.
nec Ciceroni P. F.
sed ante *supra*: *m.* deest in P. F.
parvum antiquus P. F.
legisti P. F.
exsanguem ae tritum P. F.
videri verum dixisse P. A.
nec mihi P. F.
C. XIX. atque dicendi via directa P. F.
conditionem temporum et diversitates auctorum P. F.
orationis remutandam facile P. F.
imperitissimarum F. P.
ipsum laudabat si P. F.
ita vero P. F.
argumentorum genera P. F.
ardissimis P.
atque ex ea locum P. F.
paucissima P. F.
et rhetoram P. F.
in cortina P. F.
qui elementis P. F.
et potestate P. F.
C. XX. adversatur P.
praefert P. F.
in coena Roscii P.
Turpionis et ambivii P. F.
iuvenes et ipsa P. F.
sive in suis aliquis P. F.
exercetur enim P. F.
extit (pro *extitit*) P.
C. XXI. fateor P. F.
populo. Canuti aut Aride Furnio et Trojano quique alios in eod. P. et ita F. nisi quod habet *Toranio.*
conscribuntur P. F.
auribus (sine *que*) P. F.
cultus P.
sive in universa parte fectum [factum F.] in quibus P. F.
agnoscemus P. F.

hiatus P. F.
magnitudinem conditionis P. F.
occupationis P. F.
in ante *eloquentia* deest in F.
nisi forte P. F.
lenti luminis ac temporis F.
et (post v. *carmina*) deest in P. F.
proprioribus P.
siccus (sine *est*) P. F.
ipsos quoque P. F.
robur P. F.
stetit P. F.
viderimus inquam P. F.
sufficeret P. F.
C. XXII. primus ex verbis P. F.
locosque latiores P. locosque altiores F.
genus est P. F.
sensus opt. et P. F.
terminatur P. F.
nihil ex tempore referre possis P. F.
ac laudatum patrem fam. P. F.
sed etiam sit P. F.
aut aspicere P. F.
liceat P. F.
arcentur P. F.
infestum P. F.
foedam et insulam P.
determinet P. F.
C. XXIII. tertio quoque serus P.
orationibus post *omnibus* omittitur in F.
vocabant P. F.
Servuli nominavi P.
non (ante *auditores*) abest a P. F.
quae animi anxietati confixit P. F.
vos ergo P. F.
gravitati P. F.
summum nitorem P. F.
ea sententiarum planit. P. *ea* abest a F., quae habet *planitas*.
vobis daturi sint P. F.
C. XXIV. promissum ita mutasse P. F.
quenquam nostrorum P. F
et aliis vestris P. F.
exprime P. F.
C. XXV. *non-movit*, lacuna intermedia P. F.
si quo minus fatetur P. F.
etiam hoc iisdem P.
oratores Demostheni tribuerit proximum P. F.
sic iure P. F.
refert qui F.
sanctitatem eloquentiae P. F
scias abest a P. F.
voluminis similitud. P. F.
et cogitationem P. cognationem F.
agitare non desistit P. F.
C. XXVI. adeo melius oratorem P. F.
plerique ipsorum nostrorum P. F.
praeposteri P.
frequens sicut his clam et exclamatio P. F.
temere dicere P. F.
contexto ordine P. F.
quibus utimur P. F.
et studiis feriendi P. F.
ex varietate P. F.
exspectabam ut Bruto Asinio P. F.
aliud nobis agmen P. F.
plerisque vel certe P. F.
detractasse P. detrectasse F.
veritum P. F.
ut se ante Ciceronem P. F.
C. XXVII. diminuta P. F.
me equidem P. F.
ante plane P. F.
mitiore eloquentia et tempor. P. F.
nostrorum miratus. iratus P. F.
perstringit P. F.
et quum desunt in P. F.
qua (sine praepos. *a*) P. F.
C. XXVIII. et iam mihi P. F.
sentimus abest a F.
quamquam vestra vobis P.
ego de urbe P. F.
quae notos P.
si pirus (pro *prius*) P.
firmandosque P. F.

iam pridem suus P. F.
cuiusdam familiae P. F.
inhonestum facta P.
studia morasque P. [Versus finitur syllaba *mo* et versus sequens incipit syll. *rasque*, ita ut facile syllabae *do cu* excidere potuerint. HESS.] studia moresque F.
Actiam Augusti P. F.
et in nullis P. F.
C. XXIX. minister P. F.
et libertati P. F.
increpit et sui contentus (lacuna post *sui*) P. irrepit et sui — — contemptus F.
ideo vero P. F.
nec praeceptores P. F.
salutantium P. F.
sed illecebris P. F.
nec in evolvenda P. F.
in noticiam P. F.
expectantur P. F.
ut quorum P. F.
habuit: statim decuriis. referam P. F.
C. XXX. quo ausos esse P. F.
continetur P. F.
nobis utique P. F.
Diodorum P. F.
omnis P. F.
et pluribus partibus P. F.
C. XXXI. non ut rhetorum scholis P. non rhetorum scholis F.
cognovit P. F.
quid irae P. F.
promptius et miser P. F.
habuerint P.
ex omnibus ducta sermonibus P. F.
mutabimus P. F.
artes audire P. F.
deoque (pro *ideoque*) P.
grammaticae musicae et geometriae P. F.
plerique P. F.
haec quoque scientia requiritur P. F.
C. XXXII. simplex quidam P.
informe P. F.
doceamus P. F.
primum autem P. F.
aut legitime P.
et ut denique P. F.
instructus sit: in forum P. F.
horum ipsorum disertis P. F.
eorum vix quoque P. F.
regno (omisso *suo*) F.
refert abest a P. F.
spacia P. spacio F.
quas vobis (sine praepos. *a*) P. F.
orator (pro *oratori*) P.
meis placuisse P. F.
C. XXXIII. incohasse P. F.
linimenta P. F.
soliti sunt P. F.
desidiae et scientiae P. F.
quod aut illi P. F.
iam et forum P. F.
ingressi P. F.
facultate et eloquentia P. F.
hi ante *significare* abest a P. F.
exercitationem P. F.
longe paratum P. F.
propriae circa oratoriam P. F.
C. XXXIV. principem locum in civitate P. F.
tenebat (pro *obtinebat*) P. F.
dictionibus interesse utque sic P. F.
magnos ex hoc P. F.
quod et iudex F.
deprachendebatur F.
non rudibus F.
praeceptionibus P. F.
statim unicuique causae P. F.
Pollio Catonem P. F.
aetatem P. F.
hodie (sine *que*) P.
C. XXXV. in scena P. F.
quod Marco Crasso P. F.
deducimur in scholas P. F.
quibus (sine *in*) P. F.
imperitus aeque P. F.
et ante *dicant* abest a P. F.
apud rhetoras P. F.
et controversiae robustioribus P. F.

C. XXXVI. pervexit P. F.
repubI. imbui fas P. F.
pleraque sibi P. F.
et popul. nomen P. In F. excidit et.
conciones migrantium P F.
ac paene F.
factiones abest a P. F.
assidua senectutis P. F.
magis cumulare P. F.
plebum probabat P. F.
hos reversuri P. F.
hi et praeturae et consulatui vacare P. F.
nisi qui P. F.
in publicis non absentes P. F.
et commoda. Disertum P. F.
sed contra P. F.
Ergo deest in P. F.
stipulabantur P. F.
clientularum P. clientulorum F.
transissent P. F.
C. XXXVII. in manus nostras P. F.
vetera: quae et antiq. P. F.
nunc maxime P. F.
Archias poeta faciunt P. F.
eo acrior qui pugnas P. F.
nobilitatus criminibus P. F.
more hominum P. F.
secure velint P. F.
C. XXXVIII. aptior est: ita erit eloq. P. F.
tanto illud forum P. F.
primus huius cons. Cn. (cum lacuna) P. primus tertio consulatu Cn. F.
solita sunt P. F.
haeredibus ironiae P. F.
a continuum P.
C. XXXIX. nixi P.
diligentem F.
ac alter P. F.
et legationes P. F.
assisteret P. F.
C. XL. ius quoque potentiss. P. F.
abstinuerunt P. F.
et ad incendendos P. F.
histriones auribus P. F.
accipimus P. F.
nec Macedonum P. F.
ac ullius P. F.
nulla in senatu — moderatio desunt in P. F.
herbas latiores P. F.
sed nec tuta resp. P. F.
C. XLI. antiquis oratoribus P. F.
emendare nec usquam ad P. F.
argumentum est quidem quod nemo P. F.
quam iudicari P. F.
oratorum horum P. F.
optima P. F.
vestrae post *vitas* deest in P. F.
neque illis P. illos F.
quietem huius saeculi P. F.
C. XLII. *de* ante *quibus plura* deest in P. F.

TABULA

RERUM IN NOTIS TRACTATARUM.

Corrigenda.

In contextu
Pag. 6. lin. 14. *tui* pro *tu*.
— 37. — 6. *XXI.* pro *XIX.*

In notis
Pag. 6. col. 1. lin. 30. *manibus* adde post *in*.
— 9. — 1. — 38. *eos* l. pro *eo*.

MAY 1 '82
FEB 21 '57 H

Lt 1.525
De oratoribus dialogus.
Widener Library 006988287
3 2044 085 234 763